augurio reſpondit. Siquidem Hadingi filia Ulvilda privato
A cuidam Guthormo dempta, maritum in parentis cædem ſollicitavit: reginam ſe, quam regis filiam cenſeri malle præfata. Ille cùm ad cœnam invitatum ſocerum per ſicarium confodere inſtituiſſet, ab Hadingi ſtipatoribus cæſus eſt. *Saxo l.*1.

Natus eſt Antoninus Geta, Severo, & Vitellio Coſſ. Mediolani, VI. Cal. Junias ex Julia: quam idcircò Severus uxorem duxerat, quòd eam in genitura habere compererat, ut regis uxor eſſet, iſque privatus, ſed jam optimi in Repub. loci. Statim ut natus eſt, nunciatum eſt, ovum gallinam in aula peperiſſe purpureum. Quòd cùm allatum Baſſianus frater ejus accepiſſet, & quaſi parvulus applosum ad terram fregiſſet, Julia dixiſſe fertur joco: Maledicte parricida, fratrem tuum occidiſti. Idque joco dictum, Severus altiùs, quàm quiſquam præſentium accepit: à circumſtantibus autem poſteà velut divinitùs dictum approbatum eſt. *Spartianus in Geta*.

F u r t i.

Cùm ex æde Herculis patera aurea ſurrepta eſſet, viſus eſt Deus ipſe in ſomnis Sophocli poetæ dicere, quis id feciſſet.
B Quòd ſemel omnium iterùmque cùm neglexiſſet, non ceſſante ſpecie illa, aſcendit Sophocles in Areopagum, ac detulit rem. Areopagitæ comprehendi juſſerunt eum, qui erat nominatus, qui quæſtione adhibita, confeſſus eſt, pateramque retulit. Quo facto fanum illud Judicis Herculis nominatum eſt. Index autem manifeſtè Latinis eſt, qui μηνύτης Græcis. *Victor. l.*4. *Var. lect. c.*21. *ex Cic. l.*1. *de Divin.*

FALSÆ ACCUSATIONIS, PERJURII.

☞ *Conſule Tit. Divinationis per Monomachiam, per Ignem, per Aquam ferventem, per Juſjurandum; item Tit. Præſagiorum à mortuis editorum.*

Divus Joannes Chrysostomus, Conſtantinopolitanus antiſtes, convocata Synodo Conſtantinopolim, Arcadii principis auctoritate, Theophilum Alexandrinum antiſtitem evocarat, quem graviſſimorum criminum in Chriſtianam pietatem reum, Synodi judicio damnandum exhiberet. Ille Conſtantinopolim veniens, magna ſuorum manu comitatus, intra
C urbem concilium celebravit, & ipſum Joannem citare non dubitavit. Hic cùm Chryſoſtomo invidiam apud principem conflaret, quaſi Eudociam Auguſtam, Jezabelem in publica concione nuncupaſſet, juſſu principis, Joannes in exilium actus eſt. Sed cùm gravis terræmotus urbem ipſam ſtatim concuſſiſſet, univerſæ civitatis ſtudio vir innocentiſſimus ſuæ ſedi reſtituitur. Quam tamen diù obtinere non potuit, prægravante invidia, quòd populi conſenſu, non principis auctoritate, non ſynodi ſententia, in ſuam ſedem rediiſſet: Quare Chryſoſtomus in exilio obiit. *Egnat. lib.* 8. *cap.* 1. *Exemplorum.*

Videre ſibi aliquando viſus eſt Cyrillus, Alexandriæ Epiſcopus, ſeipſum ſacris ædibus expulſum eſſe à Joanne Chryſoſtomo Epiſcopo Conſtantinopolitano, comitatu, & divino, qui circa illum erat, ſatellitio maximè freto: & matrem Domini pro ipſo deprecantem, atque cùm multa etiam alia, tum illud præcipuè, quòd pro ipſius gloria plurimùm ille decertaſſet, referentem, ut in ſacra templa reciperetur, orare. Hanc viſionem cùm Cyrillus cogitabundus in animo ſecum volueret, ſeipſum, quod in ſanctum virum invectus eſſet damnavit: Sy-
D nodo provinciali coacta, Joannis nomen ſimul, & ipſe, & reliqui Epiſcopi in ſacro albo propoſuerunt. *Nicephorus lib.* 14. *cap.*28. Pro eo Socrates narrat, Atticum Joannis ſucceſſorem, memoriam Joannis in precationibus fieri inſtituiſſe, propterea quòd Joannis ſectatores, qui ſe Joannitas dicebant, extra Eccleſiam conventus facerent, quòd eam ob rem ad Eccleſiam redituros ſperarit, *lib.* 7. *cap.*25. *Capite* verò *quadrageſimoquinto ejuſdem libri* ait, Joannem triceſimoquinto anno poſt ipſius mortem, à Proclo in communionem fuiſſe receptum: atque hac occaſione ad Eccleſiam eos, qui ſe ab ea propter Joannem ſeparaverant, rediiſſe.

Gregorium Agrigentinum Epiſcopum Sabinus, & Creſcentius diaconi, ſcortationis accuſarant, cùm ipſi noctu inhoneſtam mulierculam in ejus lecto collocaſſent. Verùm correpta muliercula à dæmone, prodidit dolum, quòd pecunia ab accuſatoribus fuiſſet corrupta. Ergo abſolutus ille, & loco ſuo reſtitutus, accuſatores in exilium acti ſunt. *Metaphraſtes in vita ejus.*

CORPORIS VARIORUM BONORUM
Divina Cognitio.
Utputa.
R o b o r i s.

E

Nicostratus Cilix, ſeu potiùs Phryx, ex urbe Prymneſſo, cùm jam adoleviſſet, in ſomnis vidit ante fulcra lecti ſui ſtratum leonem. Poſt id viſum, multas de pancratio, & lucta palmas ex Olympia abſtulit. *Pauſanias lib.* 5.

SANITATIS, MORBORUM.
Depulsionis
Revelatio.

Raphael Angelus junioris Tobiæ, ſub ſpecie Azariæ juvenis comes additus, è flumine Tigri piſcem immanem egreſſum à Tobia interfici juſſit, & cor, atque fel reponi in medicinæ uſum, reliquias ſale conditas aſſervari pro commeatu. Corde poſteà ſuffitum fecit, quo dæmonem Aſmodeum à Sara Raguelis filia, ſibi deſponſata, Tobias expulit: felle autem patris cæci oculos oblinivit, & viſum ei reſtituit.

Erat juxta Brundulum, templum D. Michaeli ſacrum, quod unum Clodia, Mathemaucum, Venetiæque ipſa ſumma pie- F tate colerent. Accidit verò, ut apud Senogalliam, Sergius quidam, opibus, & auctoritate princeps, gravi morbo laboraret: cui noctu vox audita fertur, ut ſi quamprimùm votum nuncuparet inviſendæ ædis divo Michaeli ſacræ, ſtatim incolumis fieret. Qua ex re pactum ſtatim factum: ut reus voti relicto patrio ſolo, phanum inviſeret, amplisque muneribus donaret, tum verò ſalvus penates ſuos reviſeret. *Egnatius lib.*1. *cap.* 6.

Oracula, Prædictiones.

Telephus Miſorum rex, Græcos à deſcenſione prohibiturus, cùm obſtinatè Ulyſſem inter vineas inſequeretur, præpeditus trunco vitis ruit. Achilles procul telo jaculatus femur ſiniſtrum regis transfixit. Pace facta, & Græcis domum reverſis, Telephus dolore vulneris diù afflictatus, cùm nullo remedio ſanari poſſet, ad poſtremùm Apollinis oraculo monitus, ut Achillem, atque Æſculapii filios adhiberet: properè Argos navigavit, Græcos orans, ne ſibi prædictum remedium negaretur. Achilles cum Machaone, & Podalyrio adhibentes curam vulneri, brevi fidem oraculi firmavere. *Dictys* G *lib.* 2.

Alcmæon ob interfectam matrem Eriphylen, quæ patrem domi latentem prodiderat, diris agitatus, Apollinem Delphicum conſuluit, qua ratione ab inſania liberaretur, & reſponſum accepit.

Τιμῆεν μ' αἰτεῖς δῶρον, μανίαν ἀποπαῦσαι.
Καὶ σὺ φέρειν τιμῆεν ἐμοὶ γέρας, ὅ ποτε μήτηρ
Ἀμφιάραον ἔκρυψ' ὑπὸ γῆν αὐτοῖσι σὺν ἵπποις.

Monili dedicato, mentem priſtinam recepit. *Athenæus lib.* 6. *Dipnoſoph.*

Croesus Lydorum rex, cùm, Aty filio amiſſo, alium haberet filium mutum, pro ejus vitio emendando nihil non fecerat, tum verò Delphos ſciſcitatum miſerat. Cui Pythia reſpondit:

Λυδὲ γένος, πολλῶν βασιλεῦ, μέγα νήπιε Κροῖσε,
Μὴ βούλου πολύευκτον ἰὴν ἀνὰ δώματ' ἀκούειν
Παιδὸς φθεγγομένου· τὸδε σοι πολὺ λώϊον ἀμφὶς
Ἔμμεναι· αὐδήσει γὰρ ἐν ἤματι πρῶτον ἀνόλβῳ.

Oraculum verum eventus oſtendit. Nam captis Sardis à Cyro, cùm miles quidam in Crœſum irrueret, filius mutus alta H voce exclamavit (cùm prius nullam unquam vocem edidiſſet) ἄνθρωπε μὴ κτεῖνε Κροῖσον. Sic Crœſus culpa ſua regnum amiſit, voce filii vitam ſervavit. *Herod. lib.* 1.

Cùm peſtilentia Lacedæmonem vexaret, ex Apolline relatum eſt oraculum, finem mali fore, ſi quotannis generoſam quampiam virginem immolarent. Itidem apud Valerios peſte graſſante, ex oraculo commonefacti ſunt, ceſſaturum id mali, ſi Junoni virginem immolarent. *Ariſtides Mileſius libro decimonono rerum Italicarum, & Plutarchus in Parallelis.*

Hesiodi oſſa Minyæ hoc ſe modo recepiſſe narrant. Sæviente in homines, & pecudes peſtilentia, miſſos ad oraculum conſultores, reſponſum tuliſſe: Ad ſedandam luem unicum illud fore auxilium, ſi ex Naupactio agro in Orchomenium Heſiodi oſſa deportaſſent: aliam ſanè nullam reperiri poſſe mali levationem. Percontatos rurſus eos, In qua tandem Naupactii agri parte eſſent illa reperturi? reſpondiſſe Pythiam, Locum cornicem monſtraturam. Cùm redirent in Patriam, qui ſciſcitatum miſſi fuerant, non longè à via cornicem conſpexiſſe ſaxo inſidentem. Ibique Heſiodi oſſa
A inventa, in ejus ſaxi latebra, cum inſcriptione, *Pauſan. in Bœoticis.*

Gens quædam Pelaſgica, quæ Lemnum incolebat, navibus tranſmiſit in Bæbronem, vel, ut *Herodotus*, Brauronem Atticæ regionem, atque ex ea mulieres raptas abduxerunt. Pòſt ubi peſtilentia laborarent, oraculo juſſi ſunt Athenienſibus ſatisfacere, atque ita futurum, ut peſtilentia liberarentur. Athenienſes rogati, quo pacto placari vellent: denunciarunt, ut Lemno decederent. Hanc conditionem cùm audiſſent Pelaſgi, per jocum reſponderunt, id facturos ſeſe, ſi quis Borea vento unius diei navigatione domo profectus, Lemnum tranſmitteret. Evenit deindè, ut cùm Darius in Thracia agens, omnia undique ſubigeret, Miltiades dux Athenienſium è Cherſonneſo ſolvens, Lemnum aggrederetur, Pelaſgis denuncians, ſe Borea uniuſque diei curſu adeſſe domo profectum: nam Cherſonneſum tenebat, atque illic habitabat. Itaque Hermon Pelaſgorum Princeps Lemno ceſſit. Idque cùm Darii metu compulſus faceret, adſimulabat tamen ſe volentem cedere, quo gratum faceret Athenienſibus. *Ex Græcorum*
B *collectaneis. Æmilius Probus in Miltiade* aliquanto diverſiùs rem narrat. Cùm Athenienſes decreviſſent coloniam mittere in Cherſonneſum, quæ tum à Thracibus tenebatur, conſultus Apollo, quem ſibi ducem ſumerent ad expellendos Thraces, juſſit, ut Miltiadem aſciſcerent. Is Lemnum aggreſſus, poſtulavit, ut ſe ſponte dederent Athenienſibus. Lemnii per jocum reſponderunt, ſe id tum facturos, cùm ille domo navibus proficiſcens, vento aquilone veniſſet Lemnum. Nam hic ventus adversùs eſt Athenis proficiſcentibus Lemnum, Miltiades, ne illic tempus tereret, Cherſonneſum profectus eſt. Ea capta, rebuſque illic ex animi ſententia ordinatis, rediit Lemnum, & ex pacto poſtulavit inſulam. Nam ſe vento Borea domo profectum veniſſe, quòd in Cherſonneſo domum habebat, decreverat enim illic manere. Itaque, qui Lemnum tenebant, ceſſere metu. *Eraſmus in Proverbio*, Hermonium officium.

Quidam tradunt, olim Græcis peſtilentia laborantibus oraculo reſponſum eſſe, ut ad ultimum Myſorum navigarent. Ac primùm quidem ambigebant, quid ſibi vellet oraculum. Tandem diù circumacti repererunt Æolidem in extremis Myſorum eſſe ſitam, atque eo demigrandum eſſe monuiſſe
C numen. Alii ſcribunt, Telepho, poſt interemptos avunculos, conſulenti Pythium, quò gentium ſibi demigrandum foret (nam antiquitus mos erat homicidis ſolùm vertere) reſponſum uti ad extremam Myſorum regionem ſeſe conferret: veniſſeque in Teuthraniam, Myſiæ extremam partem, atque ejus loci principatum obtinuiſſe. Sunt, qui dicant, hunc non ob cædem avunculorum fugiſſe, ſed uti matrem quæreret, quam in Teuthrania tandem invenerit. Hinc Proverbium πρὸς ἔσχατον μυσῶν πλεῖν, ubi dura quæpiam impetrarentur, factuque difficilia. *Eraſmus.*

Manuel Theophili Imp. dux (qui vivo Theophilo imaginum cultum improbarat, & tum quoque nutabat) incidit in graviſſimùm morbum, adeò quidem, ut jam de vita ejus deſperaretur. Eum acceſſere quidam monachi ex Studii collegio, quibus nunciatum fuerat, eſſe mortuum: cùmque ad lectum aggreſſi, vivere adhuc, & ſpirare ſenſiſſent, lætum ei de priſtina ſanitate recuperanda nuncium prædicaverunt. Ille tenui, ac imbecilla voce: Quomodò, inquit, hoc mihi contingat? cujus & animæ facultates defecerunt, & corpus omninò con-
D fectum exaruit? Reſpondere monachi, Deum nihil non poſſe. Quòd ſi ergo ſanitate recepta operam ſit daturus, ut imagines, ſecundùm vetera majorum decreta reſtituat, ſe ei vitam certò promittere. Atque hæc fati diſceſſerunt. Statim verò, & morbus remiſit, & naturales facultates omni impedimento ſunt liberatæ, brevique temporis ſpacio infirmatæ prorſus eſt ſolutus. *Cedrenus.*

Omina.

Quidam conſultus de eo, qui adverſa laborabat valetudine, fortè fortuna conſpexit aſinum ſurgentem à lapſu: ſimulque alium quendam audivit dicentem, βλέπε πῶς ὄνος ὢν ἀνέστη, id eſt. Vide, quo pacto aſinus cùm ſit, ſurrexit. Id ominis arripiens ille, protinùs reſpondit; forè, ut valetudinarius ille revaleſceret. Itaque jocatur *Ariſtophanes in Avib.* ὄνος ὄρνις inquiens, quaſi & aſinus avis eſſet, & augurii nonnihil haberet. *Eraſmus in Adagiis.*

Somnia.

E

☞ *Etſi Somnia aperta, & nuda, nullis ænigmatis involuta, inter Revelationes connumerari queant: tamen, quia Dormientibus accidunt, hic ſimul cum Symbolicis, & Ænigmaticis enumerantur.*

Hippocrates Cous, evocatus ab Abderitis, uti mederetur Democrito laboranti inſania: ea ipſa nocte, ſub auroram tale habuit ſomnium. Viſus eſt ſibi ad portas Abderitarum comitem habere Æſculapium, habitu horrendo, cum ſerpentibus, & miniſtris pyxides medicamentarias probè obſignatas geſtantibus. Rogatum, ut ſibi propitius adeſſet, reſpondiſſe. Nihil in præſens me opus habes, ſed hæc communis dea mortalium, & immortalium te comitabitur. Converſus ergo, vidit mulierem auguſta ſtatura, oculis ſiderum inſtar micantibus, ab eaque in urbem ad hoſpitium deductus, ejus nomen Ἀλήθεια eſſe audivit, & apud Democritum habitare: alteram verò, quæ itidem apparebat, non malam quidem ipſam, ſed audaciorem tamen aſpectu, & concitatiorem, Δόξαν appellari. Expergefactus ſomnium reco- F lens, apertè cognovit, Democritum medicamentis non indigere, quandoquidem Æſculapius diſparuiſſet: ſed ipſam quidem Veritatem, quòd ſanus ſit Democritus apud Democritum habitare: Opinionem verò, quòd Democritus ægrotet, apud Abderitas divertiſſe. *In Epiſtola ad Philipœmenem.*

Tabella marmorea Romæ in Æſculapii templo in inſula Tiberina inventa, & uſque ad hanc diem apud Maphæos conſervata, ægrorum aliquot, in Æſculapii templo conſilia ſanitatis captantium, exempla Græcè ſcripta leguntur, uti teſtatur *Hier. Mercurialis, medicus doct. ſ. lib.*1. *de Gymnaſtica.* Hiſce diebus Cajo quidam cæco oraculum reddidit, veniret ad ſacrum altare, & genua flecteret: à parte dextra veniret ad lævam, & poneret quinque digitos ſuper altare, & elevaret manum, & poneret ſuper proprios oculos: & rectè vidit populo præſente, & gratulante, quod grandia miracula fierent ſub Imperatore noſtro Antonino. Sanguinem revomenti Juliano deſperato ab omnibus hominibus ex oraculo reſpondit deus veniret, & ex ara caperet nucleos pini, & comederet unà cùm melle per tres dies: & convaluit, & vivens publicè gratias egit præſente populo. Valerio Apro militi cæco oraculum G reddidit deus, veniret, & acciperet ſanguinem ex gallo albo, admiſcens mel, & collyrium conficeret, & tribus diebus uteretur ſuprà oculos: & venit, & vidit, & gratias egit publicè deo. Lucio affecto lateris dolore, & deſperato à cunctis hominibus oraculum reddidit deus, veniret, & ex ara tolleret cinerem, & unà cùm vino commiſceret, & poneret ſuprà latus: & convaluit, & publicè gratias egit deo, & populus congratulatus eſt illi.

Sami regnum Alexander Magnus oppugnabat in India. Hoſtes ferrum veneno tinxerant: Multi Macedonum ſaucii extincti ſunt, periiſſet & Ptolemæus, qui poſteà in Ægypto regnavit, accepto vulnere, niſi per quietem herba regi demonſtrata eſſet, quo remedio ille ſervatus eſt, ſervati & cum eo multi. Draco in ſomnis Alexandro conſpectus, eam herbam ore geſtans remedium ſibi nocturna illa imagine commonſtrari rex arbitratus, herbam ſtudio conquiſitam, ac repertam potioni diluit, ut Trogus ſcribit, dilutam Ptolemæo, & aliis præſens remedium obtulit. Idem auctor eſt, in Muſicanis id accidiſſe. Curtius, qui in Sami regno hæc geſta arbitra- H tus eſt, folium, ait, vulneri applicitum. *Diod. lib.* 17. in oppugnatione urbis Brachmanum Harmatæ. *Strabo lib.* 15. apud Oritas Indos hoc accidiſſe ait: ac barbaros, cùm inventum remedium vidiſſent, ſe Alexandro dedidiſſe. Veriſimile autem eſſe, aliquem eam regi indicaſſe: ſed adulationis gratia adjunctam fabulam. Ridet certè hoc ſomnium Cicero, eò præſertim, quòd ore radicem tenens loqui draco dicatur. *Petrarcha Sab. l.*6. *Enn.*4.

Aspasia Hermotimi filia, Phocenſis, poſtquam mater ejus cum partu animam egiſſet, in orbitate eſt educata, atque in penuria modeſtè tamen, & liberaliter. Inſomnium autem frequenter apparebat, eventuræ fortunæ vaticinium præ ſe ferens, quòd viro pulchro, bonoque nuptura eſſet. Adhuc autem puellæ enatus eſt tumor in ipſo mento, aſpectu teterrimus, atque tum patri, tum ipſi puellæ ſummum dolorem afferens. Proinde pater eam ad medicum adduxit, qui ſe curaturum recepit, ſed ea lege, ſi tres ſibi ſtateres perſolverentur. Cùm autem pater tantùm ſe non habere diceret, medicus puellam incuratam dimiſit, quæ ob id in acerbiſſimo luctu verſata eſt. Verùm poſteà-
quam

quam præ dolore non cœnaſſet, planè opportunus eam ſom- A nus invaſit. In ſomno autem viſio oblata, hæc verba protulit: Bonum animum geras, valeantque medicis cum ſuis pharmacis. Tu verò roſam Veneris cape, eaque contrita tuberi impone. Hæc ubi audiſſet, & executa eſſet, tuber evanuit: & Aſpaſia inter omnes puellas adeò forma, vitæ honeſtate, incorruptis moribus emicuit, ut primùm Cyro Perſarum regi, deinde, eo interfecto, Artaxerxi etiam nupta ſit. Hiſtoriam eleganter deſcriptam leges apud *Ælianum de Varia hiſt. l. 12. à principio*.

Cæcus, & claudus à Serapide moniti in ſomnis, à Veſpaſiano Alexandriæ curati fuere, dum in oculos cæci ſpuiſſet, & calce crus claudi tetigiſſet. *Suet. & Sab. l. 3. Enn. 7.*

PLINII ætate, cujuſdam militantis in prætorio Mater vidit in quiete, ut radicem ſylveſtri roſæ, quam cynorhodon vocant, blanditam ſibi aſpectu pridiè in fruteto, mitteret filio bibendam in lacte. In Lacetania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte; caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola matris orantis, ut pareret religioni: ſervatuſque eſt ex inſperato, & poſteà quiſquis B auxilium ſimile tentavit. *Plin. l. 26. c. 2.*

ÆSCULAPIUS Athenienſis eandem medicinam Plutarcho Athenienſi, & Domnino Syro philoſopho præſcripſit oraculo, illi ſubinde ſanguinem expuenti, huic neſcio, quo malo laboranti. Ea verò fuit; ut ſuillis carnibus implerentur. Ac Plutarchus quidem, etſi lege patria non vetaretur, talem ſanationem reſpuit: ac ſomno experrectus, & ulnis in lectulo expanſis, Æſculapii ſtatuam intuens (nam in veſtibulo templi dormierat) Quid, inquit, Domnino Judæo hoc morbo laboranti præſcripſiſſes? neque enim ſuillis eum impleri carnibus juſſiſſes. Quæ cùm hic dixiſſet, Æſculapius ſtatim ſono à ſtatua ſuaviſſimo edito, aliam curandi morbi rationem ei præſcripſit. Domninus autem ſecus, quàm inſtituta Syrorum ferunt, ſomnium ſecutus, non Plutarchi exemplum, & tum, & poſteà ſemper eas carnes comedit: ac fertur, ſi quando unum id diem, intermiſiſſet, recruduiſſe morbum, donec iis impleretur. *Suidas.*

AELIUS ARISTIDES Rhetor Smyrnæus, præterquam quòd ei multa fuerunt in ſomnis ab Æſculapio præcepta, quæ interdiù ageret: cùm quondam peſte laboraret, viſus eſt in quiete Lyſin, poſteriorem fabulæ partem videre, ac in fine fabulæ verſari. Ex C quo ſomnio convaluit. *Sermone 2.*

Viſus eſt ſibi Quis à Marte iniri. Et ani ulcere oborto, ſectione uſus chirurgica convaluit. *Artemidorus l. 5.*

GALENUS prodit monumentis, cùm circa diaphragma inflammatio eſſet oborta, per quietem ſibi oblatam ſpeciem, quæ commoveret, liberatum iri, ſi ſanguinem mitteret ex vena, quæ inter pollicem viſitur, atque indicem. Feciſſe, quod præcipiebatur, ac mox ſanitati reſtitutum. *Cæl. l. 27. c. 9. A. L.*

De ſe Avenzoar Albumaron medicus ſcribit, quòd oculo laborans, cui remedium non inveniebat, per quietem viſus eſt ſibi medicum non multò antè mortuum, tanquam viventem ſe alloqui, & ab eo remedia audiviſſe, quibus liberaretur. Quæ ſequutus, liberatus eſt. *Fulg. l. 1. c. 5.*

Innocentia Carthaginenſis mulier, cùm cancro obeſam haberet mamillam, ſomnio monita, ut proximo Paſchate ad baptiſterium profecta, à femina, quæ primò ei obvià foret, baptizari ſe, & ſanctæ crucis ſigno pectus ſignari curaret, quoniam ita eo morbo liberanda eſſet; peractis ritè, quæ D in ſomniis habuerat (mira profectò res) eo morbo liberata eſt. *Ibid.*

HULDRICUS Leodienſis Epiſcopus, cùm circa anum cancro laboraret, nullamque medici ſalutem ſponderent, juſſit ſe in Turones ad beati Martini fanum deferri. Illic cùm ſeptimum diem inter lacrymas, gemituſque juxta aram ageret, & feſſus in ſomnum incidiſſet, viſus eſt videre Martinum, Bricciumque, ſimul de ipſiùs morbo loquentes: atque Martinum crucis ſigno frontem ejus notare, ac pedo, quod manu gerebat, morboſam contingere partem. Itaque à ſomno experrectus, præ lætitia magna voce exclamavit. Ad quem ejus familia cùm clamorem mirata accurriſſet, amotis faſciis, quibus læſa pars deligata erat, liber eſt inventus: ſolaque cicatricis parva nota in eo loco, ubi cancer erat. *Idem.*

JOANNES Monachus Romæ graviter laborans, atque medicorum ope deſtitutus, cùm ſomniaſſet, ſenem ſe videre, qui virga, quam manu gerebat, eum tangeret, ut è ſtrato ſurgeret, quoniam ſanus eſſet: cæterùm diù ſupervicturum non eſſe: magna eorum, qui ipſum viderunt, admiratione, manè valens à lecto ſurrexit, & poſt tertium annum deceſſit. *Gregorius Turon. l. 4. c. 47.*

ECBERTUS adoleſcens, peſte in Scotia graſſante, ſolus cum Edilo in monaſterio relictus, cùm & ipſe cùm ſodale ſuo eo E morbo corriperetur, à Deo obnixè petiit, ne ſineret ſe priùs extingui, quàm præteritas negligentias, quas pueritia ſua commiſerat, perfectius caſtigaret, & in bonis operibus ſe abundantiùs exerceret. Vovit etiam votum, quòd nunquam in inſulam, in qua natus erat, vellet reverti: & quòd quotidiè totum Pſalterium in Dei gloriam eſſet decantaturus, niſi impediretur adverſa valetudine: & quòd in omni ſeptimana diem cum nocte eſſet jejunus exacturus. Edilus de ſomno expergefactus, ait: O frater Ecberte, quid feciſti? Sperabam, quia pariter ad vitam æternam intraremus: veruntamen ſcito, quia quæ poſtulaſti accipies. Didicerat enim per viſionem, quid ille petiiſſet, & quòd petita impetraſſet. Mortuus eſt ergo Edilus: ſed Ecbertus convaluit, & in ſuo voto ſervando multos labores, & moleſtias cepit. *Beda lib. 3. cap. 27. Eccleſ. hiſt.*

JOANNIS Orphanotrophi, Michaelis Paphlagonis Imper. fratris, os ulcus depaſcebatur. Cùm verò medici de ope ferenda deſperaſſent, per inſomnium ei viſus D. Nicolaus, monuit, ut quamprimùm Myram iret, ibi ſanitatem recepturus. Celerri- F mè igitur eò profectus, Nicolai clericos unguentis, aliiſque ſumptuoſis rebus demeritus, metropolim Myra muro validiſſimo cinxit, morboque ſolutus rediit. *Cedrenus.*

Gregorius Turonenſis cap. 96. de Gloria Confeſſorum, ſic ſcribit: Ad diem feſtum Albini Andegavenſis Epiſcopi, cùm Paralyticus quidam curru vectus adeſſet, in ſomnis per noctem vidit ad ſe venientem virum, ac dicentem: Hora tertia ſurge, & baſilicam ingredere, futurum enim eſt, ut ea hora Martinus cum Albino ingrediatur. Si eo momento adfueris, ſanitatem recuperabis. Idque ita factum eſſe, multis idipſum ſpectantibus, ſicuti fuerat ei in ſomnis prædictum, confirmat.

Sub Erico Aorſel Sueonum rege, dum Sacerdos quidam idolis ſuis ſacrificia offerret, repentina percuſſus cæcitate in terram corruit: ac diù, multùmque à ſuis diis viſus reſtitutionem, ſed fruſtrà, poſtulavit, In ædes deductus ſacerdos cæcus, quieti ſe dedit. Ibi Maria virgo illum in Chriſtum credere jubet, & viſum reſtitutum iri pollicetur. Credidit ile, atque confeſtim viſum recepit, ſtatimque Chriſtianæ religionis prædicator effectus eſt diligentiſſimus. *Joannes Magnus in Gothica hiſt. l. 17. c. 15.*

HENRICUS II. Imp. cùm Apuliæ civitates perluſtraret, cal- G culorum dolore ſic eſt infeſtatus, ut plerique de ejus ſalute deſperarent. In montem Caſſinum veniens, petiturus interceſſionem à divo Benedicto, & S. Scholaſtica (nam medicorum arte nullam recuperare potuit bonam valetudinem) in ſomnis viſus eſt videre Benedictum aſtare ſibi, & ferro pudenda aperire, & calculum ingentem eximere: vulnereque ſolidato, calculum in manum regis dormientis collocavit. Qui è ſomno experrectus, grande miraculum cernens, ſatellites ad ſe vocavit, ut principes accerſerent: quibus rem hanc mirandam oſtendit, unà cùm cicatrice vulneri obducta. Agens itaque immenſas Deo immortali gratias, templo divi Benedicti pretioſiſſima donaria, ac annuos ex prædiis adjacentibus redditus contulit. *Cuſpin. A. D.* Et quoniam vulgari fama deceptus, venete ibi S. Benedicti ſitum corpus eſſet, addubitaverat, ipſum ſibi confeſſorem id affirmantem audire per noctem cubans erat viſus: adeòque omnibus audientibus conteſtatus eam ipſam etiam diplomate, quod adhuc legitur, voluit à Pontifice divulgari. *Sigon. l. 8. regni Ital.* H

URBANUS II. Papa ad Campaniam in fide retinendam progreſſus Caſſinum per Quadrageſimam adiit; anno 1090. cùmque in vigiliis S. Benedicti ſæviſſimo calculi dolore cruciaretur, ac de præſentia corporis ejus dubitaret, viſus eſt ſibi per quietem S. Benedictum aſſiſtentem audire, atque illum ſcrupulum ſibi evellere, ac proximam ſanitatem prædicere. Experrectus autem calculum edidit, ac gratiis Deo actis, rem monachis advocatis expoſuit. *Sigon. l. 9. regni Ital.*

FRANCISCUS Petrarcha de amici vita propter gravem valetudinem deſperans, per quietem viſus eſt ægrum videre dicentem: Non poſſe ſe diutiùs cùm eo manere, quoniam ad cubiculi oſtium quidam appropinquaret, qui mutuum colloquium impediturus erat: ei ut ſe commendaret, orabat. Medicus interea, qui ægrum pro mortuo reliquerat, ut Petrarcham conſolaretur, advenit; ſimulque excitatus Petrarcha, ſomnium narravit, & ut ad ægri curam reverteretur, obſecravit. Id cùm medicus feciſſet, æger liberatus eſt. *Fulg. l. 1. c. 5.*

PESTI-

A PESTILENTIÆ SEDANDÆ.

☞ *Conſule Tit. Peſtilentiæ curatio.*

Peſtilentia Lacedæmone vulgata, reſponſum dedit Apollo, finem fore mali, ſi generoſam virginem de more immolaſſent. Sorte aliquando ductam Helenam, ubi ornatam produxerunt, aquila demittens ſe, rapuit enſem, atque in armenta portans ſuper buculam eum poſuit. Qua de cauſa abſtinuerunt à virginibus mactandis. *Ex Ariſtodemo in 3. Fabularum compendio. Plut. in Parallelis.*

Populante Falerios peſtilentia, cùm magna ſtrages facta eſſet mortalium: oraculum editum eſt; remiſſum iri luem, ſi virginem Junoni quotannis immolarent. Cum ſuperſtitio hæc perpetuò teneret, ſorte vocata Valeria Luperca enſem ſtrinxit: quem demiſſa aquila abſtulit. Carbonibuſque virgam minutam cum malleo impoſuit: enſem in buculam quandam apud fanum paſcententem projecit. Quam rem cùm animadvertiſſet virgo, bove immolata, malleoque ablato, ſingulas domos perluſtravit, laboranteſque leviter percutiendo excitavit, vale unicuique dicens. Inde hac quoque memoria id myſterium agitur. B *Ex Ariſt. l. 19. de rebus Ital. Plut.*

PERICULI, INCOMMODI CUJUSVIS CORPOREI EVITANDI, EVITATI, depulſi: Tum *Revelatio.*

HELISÆO ab exercitu Syrorum circumdato, multi apparuerunt angeli defendentes eum. 4. *Reg.* 7.

AZARIAM cum ſociis in fornace ignis angelus comitatus eſt, & incolumem ſervavit. *Dan.* 3.

DANIELEM in leonum antro angelus Domini ſervavit, *Daniel.* 10. Eique multa revelata ſunt myſteria, & per Habacuc Prophetam ex Judæa in Chaldæam angeli miniſterio cibus delatus, *Daniel.* 10. *& ſeq.*

Apoſtolos è carcere angelus eduxit. *Act.* 5.

PETRUM ex carcere angelus liberavit. *Act.* 12.

SIMONIDEM à ruina ædium, in quibus Scopas Theſſalus convivabatur, præſervarunt duo juvenes (genii videlicet) qui paulò ante ruinam eum evocarant, & repentè diſparuerant. Idem cùm ad littus navem appuliſſet, inhumatumque C corpus jacens ſepulturæ mandaſſet, admonitus ab eo in ſomnis, ne proximo die navigaret, in terra remanſit. Qui inde ſolverant, fluctibus, & procellis in conſpectu ejus obruti ſunt. Ipſe memor beneficii, elegantiſſimo epitaphio mortuum exornavit. *Val. Max. l. 1. c. 7. Cic. l. 1. de Div.*

JASON poſteàquam ſub Pelio monte Argo navem exædificavit, impoſitis in ea cum aliis ſolemnibus hoſtiis, tum verò tripode æreo, circuivit Peloponneſum, animo Delphos eundi. Cùm teneret curſum circa Malæam, abreptus in Africam, in aſpretis paludis Tritonidis conſtitit: eique hæſitanti de egreſſu, apparuit Triton, ac juſſit dari ſibi tripodem, quòd diceret oſtenſurum ſe illi exitum, atque incolumem remiſſurum. Aſſentiente Jaſone, ita demùm Triton oſtendit, qua ratione è brevibus enavigaret. Itaque Tripodem in templo dedicavit, in eoque tripode oraculum redditum, fore, ut cùm quis tripodem accepiſſet ex omnibus, qui in Argo navigarent, neceſſariò centum Græce civitates accolerent paludem Tritonidem. Hæc cùm audiſſent Pœni, qui montem Gratiarum colunt, tripodem occultarunt. *Herod. l. 4.*

D D. HILARION ad quoſdam fratres ſibi notos in Bruto divertit, haud procul ab Alexandria. Qui cùm miro gaudio ſuſcepiſſent ſenem, & jam vicina nox eſſet, repentè audiunt, diſcipulos ejus aſinum ſternere, illumque parare proficiſci. Advoluti pedibus rogabant, ne hoc faceret. Quibus ille reſpondit: Non multò poſt cognoſcetis, non ſine cauſa me ſubitò diſceſſiſſe. Die ſequente affuere Gazenſes cum lictoribus eum comprehenſuri: quandoquidem à Juliano Apoſtata & Hilarionis, & Heſychii mortem impetraverant. *Hieronymus in vita Hilarionis.*

SABINUM Canuſinum Epiſcopum, ſenem, & cæcum, donoque prophetandi clarum, Archidiaconus Epiſcopatus deſiderio è medio tollere laborabat. Itaque pincernæ perſuadet, ut ei venenum propinet. Paret ille. Senex poculum oblatum reſpuit, dicens: Bibe tu, quod mihi proponis bibendum. Quod cùm puer metu pœnæ facere vellet, impediit eum Sabinus, inquiens: Vade, & dic auctori harum inſidiarum, me quidem poculum bibiturum, ſed eum Epiſcopatu nunquam potiturum. Sic accidit, ut venenum Sabino bibenti non noceret: & Archidiacono non bibenti, ea ipſâ hora cauſa mortis exiſteret. *Greg. lib. 3. Dial. cap. 5. Vinc. lib. 21. cap. 66.*

Sub Trajano Clemens Rom. Pont. qui quartus poſt Petrum E præfuit Eccleſiæ, in Inſulam deportatus fuit. Erant hic ad duo Chriſtianorum millia ſecandis marmoribus adhibita, perincommodèque aquabatur manus illa pietatis cultrix ex remotiore loco. Clemens agnum in proximo conſpicatus modico tumulo ſtantem, tacita religione tactus ad locum proceſſit, ubi fontem offendit ſub altero agni pede ubertim ſcatentem. Inſperata aquatione recreata eſt illa piorum manus, quæ ſiti premebatur. *Sab. l. 4. Enn. 7.*

BONUS Methamaucenſis, & Ruſticus Torcellanus, Veneti, qui corpus D. Marci divino quodam monitu ex Alexandrina urbe Venetias attulerunt, dum Ægæum mare præterveherentur, obſervata dicitur divi Marci ſpecies Dominico monacho Comaclenſi, qui cuſtos ſacri corporis erat: admonuitque, nauclerum, adiret, qui caveret tam ſecundum ventorum flatum: fore enim, ut ſcopulis Strophadum illiſa navis, naufragium planè faceret. Subductis igitur velis, curſuque mutato adventante luce, nauclerus, & reliqui omnes, re ipſa planè perſpecta, & cognita, ſupplices divo Marco ingentes gratias egere, quòd imminentis naufragii evaſiſſent periculum. *Egnatius lib. 1. cap. 6.* F

BARTHOLOMEO GRADONICO Duce, Venetiis cùm aquæ omnes, & ſtagna ita ſubitò excreviſſent, ut omnes de ſalute deſperarent: proditum pro certo memoriæ eſt, noctu intempeſta occurriſſe latenti Piſcatori tres humana ſpecie, qui navigium ingreſſi magni precibus ab eo contenderent, ut ſeſe incolumes ex eo turbine ſervaret. Ille verò accepta conditione, in littus ſic eos deduxit, ut tandem quieſcente tempeſtate, aquiſque decedentibus præmium ab ipſis acceperit, à D. Marco annulum ſuum, quem principi offerret: aſſereretque ſua ope præcipuè à ſe, divoque Nicolao, & Georgio ſervatam eſſe urbem. Id cùm piſcator manè ad ducem profectus enarraſſet, certæque rei indicium annulum protuliſſet: tunc dux piſcatorem præ gaudio complexus, & annuo ſtipendio viventem donavit, & rei monimentum perpetuum poſteris eſſe voluit. *Egnat. l. 1. c. 6. & Fulg. ibid. & Sab. l. 2. Dec. 2.*

Omina.

C. MARIUS Syllam fugiens Minturnenſium paludibus, ubi ſeſe occultaverat, extractus, cùm ad cuſtodiam duceretur, fo- G ribus patefactis, aſinus è domo ad vicinum fontem potaturus procurrit. Intuitus blandè, & hilariter Marium, conſtitit primùm ei ex adverſo, deinde vocem emiſit luculentam, atque in prætereundo eum laſcivè ex lætitia ſubſiliit. Inde Marius conjectura ducta, deos ait mari potiùs, quàm terra, incolumitatem ſibi oſtendere. Aſinum enim nihil arido nutrimento motum aquam ſe inde convertiſſe. Multitudinem igitur, quæ ad opem illi ferendam confluxerat, oravit, ut ſe ad mare tuto perducerent. Protinus naviculam conſcendit: eaque in Africam profectus, arma Syllæ victricia effugit. *Plut. in Mario. Appianus l. 1. Bellorum civil. Plin. c. 61. de Viris illuſt. Val. Max. l. 1. c. 5. Luc. l. 2. Sab. l. 3. En. 6. Raph.*

VALENS Imp. Arianus, cùm Baſilium Cæſarienſem Epiſcopum, propterea quòd orthodoxus eſſet, in exilium vellet pellere, gravibus ominibus prohibitus eſt. Primùm enim ſella, qua vehebatur Imp. ſubitò diſſoluta eſt. Deinde cùm uſitatam exilii notam in Chartam ſua manu ſcripturus eſſet, literam nullam, calamo non reddente, exprimere valuit. Poſtremò filius Imp. Galata in morbum periculoſum ſubitò incidit. Tunc Imper. H Baſilium accerſit, & filius meliùs continuò habuit, ſed cùm Arianos quoque Imp. vocaſſet, & ab Ariano ſacerdote filium baptizari curaſſet contra Baſilii monita, paulò pòſt mortuus eſt Galata. *Theod. l. 4. c. 19.*

Auguria.

DEJOTARO regi, omnia ferè auſpicatò gerenti, ſalutaris aquilæ conſpectus fuit. Qua viſa abſtinuit ſe ab ejus tecti uſu, quod nocte inſequenti, ruina ſolo æquatum eſt. *Val. Max. lib. 1. cap. 4.*

Firmata pace inter Ludovicum XI. Galliæ, & Edoardum Angliæ reges, quamplurimi dicebant, eam pacem Sancti Spiritus beneficio factam fuiſſe. Nam quo die Reges convenerant, columba candida conſederat in tabernaculo Edoardi, nec ullo ſtrepitu, aut clamore fugari potuit. Pluerat aliquantulum, eamque pluviam inſecutus eſt deinde fulgor Solis, & columbam aliqui dicebant exſiccandi ſui cauſa, inſediſſe ei tabernaculo, quod præ cæteris eminebat. Hanc rationem afferebat

mihi

mihi Vaſco quidam nobilis, ex familia Eduardi. *Phil. Comi-*
A *næus 6. Hiſtor.*

Portenta.

C. Marius filius, à rege Numidiæ Hiempſale Syllæ prodendus, opera regiæ pellicis, commiſeratione ejus ductæ, evaſit, & ad patrem in Africa itidem exulantem confugit. Ut inter ſe conſalutaverunt, ſecundùm littus ambulantes, vident pugnantes ſcorpiones. Quòd prodigium Marius abominatus conſcenderunt eveſtigiò navem piſcatoriam, atque in inſulam Cercinam, non procul à continente diremptam, curſum direxerunt. Poſtmodùm in altum evecti, cernunt miſſos ab rege equites, locum unde conſcenderunt, petentes. *Plutarchus in Mario.*

Somnia.

Pincernarum præpoſitus, qui erat eunuchus regis Ægypti, conjectus à Pharaone cum ſocio in carcerem, in ſomnio vidit vitem coram ſe, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim in gemmas: & poſt flores, uvas matureſcere, calicemque
B Pharonis in manu ſua. Viſus eſt præterea exprimere uvas in calicem, quem habebat, & tradere plenum muſto poculum Pharaoni. Cui Joſeph interpretatus eſt ſomnium, hunc in modum: Tres propagines, tres adhuc dies ſunt, poſt quos recordabitur Pharao miniſterii tui: & reſtituet te in gradum priſtinum, dabiſque ei calicem juxta officium tuum, ſicut ante facere conſueveras. *Gen.* 40.

Mardochæus Judæus Suſis habitans, ſomnium vidit tale. Duo dracones inter ſe dimicare parati progrediebantur: gentes omnes clamore illorum excitæ, bellum juſtis inferre parabant. Tenebris obortis, juſti Deum implorarunt, & ex lacrymis illorum tanquam ex fonte fluvius ingens productus apparuit. Mox igitur Sol ortus, & juſti improbos confecerunt. Somnium illud Mardochæus tunc non intellexit: ſed poſteà, quando Eſther reginæ tanquam fluvii interceſſione, Judæorum gens ab interitu vindicata, & Aman peſſimus cum toto genere in crucem, quam Mardochæo paraverat, elatus fuit. *Vide Tit. Miro modo ſervati, ex Hiſt. Eſther.*

Joſepho Chriſti altori angelus de vitanda Herodis tyrannide nuncium in ſomnis attulit: cumque mortuo Herode in
C patriam redire juſſit. *Matt.* 1. & 2.

D. Paulus Romam deductus angeli nuncio in ſomnis, naufragos omnes ſibi dono datos à Deo in Melita inſula, affirmavit, *Act.* 27.

Olbius liberorum Nicogenis hoſpitis Ægei: ad quem Themiſtocles Græcia pulſus confugerat, pædagogus, Themiſtoclem ſaluti ſuæ conſulere lymphatus juſſit, exclamans hunc verſum:

Nocti conſilium, vocem da, victoriamque.

Cui cùm ſomnium nocturnum acceſſiſſet, ſingulari hoſpitis fide, muliebri vehiculo tectus, inſidias regis omnes effugit. *Plut. in Themiſtocle.*

Deſcendenti ad mare ob pertinentia ad Græciam negotia, Themiſtocli, poſtquam ad Xerxem confugit: Perſes quidam, Epixyes nomine, ſuperioris Phrygiæ ſatrapa inſidias ſtruxit, paratis jam pridem Piſidis, qui in oppido, quod Leontocephalon vocant (ſignificat ea vox caput leonum) pernoctantem trucidarent. Cui matrem Idæam perhibent oblatam per ſomnium meridianti dixiſſe. Devita Themiſtocles leonum caput, ne in leonem incurras. Pro hoc ego abs te poſtulo ancillam Mneſi-
D ptolemam. Unde pavore offuſus Themiſtocles, adorata dea declinavit viam regiam: ac locum illum alio circuitu præterlatus, jam nocte conſedit. Cùm autem unum ex jumentis, quæ portabant tentorium ejus, eſſet in fluvium delapſum, ſervi Themiſtoclis aulæas madefactas expanderunt ad ſiccandum. Intereà accurrunt cum gladiis Piſidæ. Cùm autem ea, quæ ſiccabantur, non ſatis perviderent ad lunam: arbitrabantur ea Themiſtoclis eſſe tentorium, atque ſe illum intus inventuros quieſcentem. Ubi jam ſuggreſſi propiùs ſuſtulerunt auleam, intenti ſervi involaverunt in eos, ac corripuerunt. Ita defunctus periculo, in deæ, quæ ſibi fuerat oblata venerationem Magneſiæ templum Dindymenæ condidit, cujus filiam ſuam creavit Mneſiptolemam ſacerdotem. *Idem.*

L. Lucullus bello Mithridatico ad Helleſpontum profectus claſſem inſtruxit. Troadem delatus divertit in delubro Veneris; nocte ſopitus Deam videre viſus eſt ſibi aſſiſtentem, quæ diceret:

Quid dormis, animoſe leo, cùm proximus adſit
Hinnulus ecce frequens?

Surgens advocatis amicis expoſuit adhuc nocte ſomnium. Simul adfuerunt ab alio quidam, qui nunciarent, conſpectas ad E Achæorum portum quinquiremes regias tredecim, quæ in Lemnum intenderent curſum. Statim igitur ſolvit, atque his potitus eſt, præfectum earum Iſidorum occidit. Mox inſectatus eſt cæteros nautas. *Plut. in Lucullo.*

M. Artorius, Auguſti Cæſaris medicus (cùm in campis Philippicis duo Romanorum exercitus ſtetiſſent, hinc Octavii, & Antonii, inde Bruti, atque Caſſii, & proximo die eſſent manus conſerturi) ſomnium à Minerva accepit, ut admoneret Octavium gravi morbo laborantem, ne propter adverſam valetudinem proximo prælio intereſſet. Quòd cùm Cæſar audiviſſet, lectica ſe in aciem ferri juſſit. In qua dum ſuprà vires pro adipiſcenda victoria excubaſſet, morbo liberatus eſt, & à Bruti militibus, de cæde ejus cogitantibus, ejuſque caſtra diripientibus, & lecticam inanem jaculis, & pilis traiicientibus liberatus. *Cicero l.* 1. *de Divinat. Val. Max. l.* 1. *c.* 7. *Suet. in Aug. Appianus l.* 4. *Plut. in Bruto.*

Homicida quidam in ſomnis ab imminente ruina ſibi cavere juſſus: de quo ſic *in* 1. *Epig. Græcorum.*

Ἀνδροφόνῳ σαθρὸν παρὰ τειχίον ὑπνώοντι,
Νυκτὸς ἐπιστῆναι φασὶ Σάραπιν ὄναρ,
Καὶ χρησμῳδῆσαι κατακείμενος ὅστις ἀνίστω,
Καὶ κοιμῶ μεταβάς, ὦ τάλας, ἀλλαχόθι.
Ὃς δ', διυπνισθεὶς, μετέβη· τὸ δὲ σαθρὸν ἐκεῖνο
Τειχίον ἐξαίφνης ᾧδυς ἔκειτο χαμαί. F
Σῶστρα δ' ἕωθεν ἔθυε θεοῖς χαίρων ὁ κακοῦργος,
Ἥδεσθαι νομίσας τὸν θεὸν ἀνδροφόνοις.
Ἀλλ' ὁ Σάραπις ἔχρησε πάλιν διὰ νυκτὸς ἐπιστάς·
Κήδεσθαί με δοκεῖ ἄθλιε τῶν ἀδίκων,
Εἰ μὴ νῦν σε μεθῆκα θανεῖν, θάνατον μὲν ἄλυπον
Νῦν ἔφυγες σταυρῷ δ' ἴσθι φυλαττόμενος.

Ariſtides rhetor Smyrnæus, cùm terræmotus inſtaret, juſſus eſt ab Æſculapio paulò antè ad avitam domum proficiſci, & in Atys collis vertice ſacra facere, araſque extruere. Quæ cùm vix abſolviſſet, obortus terræmotus omnem quidem interjectam regionem ita concuſſit, ut nullum relinqueret diverſorium, ſed ad Atym non proceſſit, nec ultra quicquam attigit. *Serm.* 3.

Cùm D. Bernardus graviſſimè aliquando laboraret, ita quidem, ut finem vitæ ſuæ inſtare exiſtimaret, viſus eſt ſibi, ſtans in littore, videre navem rectà ad ſe navigare, quæ ipſum tranſ- G veheret. Feſtinat ter ingredi, ſed recedit iterùm, nec revertitur tandem. Hinc intellexit, finem migrationis ſuæ nondum adeſſe. *Auctor vitæ.*

Turcæ Cephaleniæ ab Hiſpanis, Venetiſque obſeſſi, cuniculum perfecerunt, per quem noctu erumperent, & ad Conſalvi Magni tabernaculum deferrentur. Sed ipſe tantùm diſcrimen ſomnio monitus vitavit, ita contrario effecto cuniculo, ut cùm nece teterrima Barbarorum, conjecto in illum, incenſoque ſulphureo pulvere obviàm iretur. *Jov. in Conſalvo.*

Vitæ Longævæ.

Manuel Comnenus Imp. Joannis F. à civibus Byzantinis exceptus, ac Imp. ſalutatus, dum equo Arabico inſidens portam ingrederetur palatii, poſtquam ſolis Imperatoribus deſcenſus è ſella permittitur, equus clarè hinniit, & ſolo ungulis crebrò pulſato, ſolerterque progreſſus, & ferociter in gyrum actus, ſerò tandem limen tranſcendit. Id bonum omen eruditis viſum, qui per equinos geſtus, & crebros flexus longam vitam Imperatori portendi vaticinabantur. *Nicetas.*

FOECUNDITATIS, CONCEPTIONIS H
Partus Futuri.

☞ *Divina cognitio conceptus, & partus futuri, ad corporis bona referri debet. At qualitas ipſius fœtus, ad titulos varios bonorum, atque malorum, quæ præſignificantur, pertinet. Proinde ex Divinatione ſanctitatis, & eruditionis, item Fortitudinis, item Imperii, non pauca exempla huc accommodari poterunt.*

Revelatio.

Uxori Manuè, viri ex Saraa, gentis Dan, ſterili exiſtenti, apparuit Domini angelus, & ut ſibi à vino, atque temeto, item ab omni polluto caveret, præcepit: concepturam enim, & parituram filium, qui ab utero devotus eſſet Domino, Nazareus nimirum, cujuſque capiti novacula non foret adhibenda: illum Iſraelitas à tyrannide Palæſtinorum, à quibus jam XL. annis premebantur, liberaturum. Idem poſteà angelus iterùm ruri apparuit mulieri. Cùmque illa virum ſuum Manue vocaſſet: is caprum cum ferro Deo in petra obtulit, atque

atque cremavit. Angelus verò per flammam, quæ ex ara in
A cœlum ferebatur, ſpectantibus illis, aſcendit, & evanuit. Mulier paulò pòſt concepit, & filium peperit, quem Samſonem vocavit, qui contrà Palæſtinos ſtupenda edidit facinora. *Judicum cap.* 13.

Joannis Baptiſtæ præcurſoris Domini nativitas ab Angelo Gabriele prædicta fuit, dum pater ejus Zacharias in templo ſufficeret. Cujus verbis cùm Zacharias fidem non adhiberet, quòd & ſe ſenem, & Elizabeth uxorem ſterilem natura, ætate jam anum eſſe diceret, voce captus eſt in pœnam incredelitatis. *Lucæ* 2.

Mariæ ſemper Virgini θεοτόκῳ per Gabrielem Angelum ſalutifera Chriſti Opt. Max. conceptio fuit prænunciata. *Idem.*

Paſtoribus primis revelata eſt Salvatoris nativitas, voce Angeli. Magis in Oriente, novæ ſtellæ exortu. Simeoni, & Annæ Prophetiſſæ, tacita Spiritus ſancti revelatione.

Monobazus Adiabenorum rex, cognomine Bazeos, ſororis Helenæ amore captus, eam in uxorem duxit: & ex ea primum Monobazum ſuſtulit, & alios ex aliis uxoribus. Tandem
B cum uxore rurſus prægnante cubans, & manum reclinatam habens in uxoris uterum, vocem quandam ſibi audire viſus eſt, jubentem: ut manum à ventre tolleret, neve premeret fœtum, qui ut non ſine divina providentia inchoatus ſit, ita finem habiturus eſſet fortunatiſſimum. Hac voce ille territus, mox ut excitatus eſt, rem uxori indicavit: & natum eo partu filium, Izatem nominavit. Quem propter hoc præſagium pater regni hæredem reliquit. Atque is cum matre Judæorum religionem amplexus, Artabanum Parthorum regem regno reſtituit: contra Arabas, & Parthos feliciter dimicavit. Anno ætatis 55. regni 24. fatis ceſſit, relicto regno fratri Monobazo, quamvis quatuor haberet filios maſculos. *Joſeph. l.* 20. *cap.* 2.

Nicolai Tolentinatis parentes, de futura ſobole oraculo quodam inſtructi, voti cauſa Barium profecti ſunt. Ubi cùm ad Divi (qui religioſè illic colitur) conditorium venerabundi diutiùs jacuiſſent: caſu, an potiùs providentia, dubium, ſomno ſuccubuere. Hic inopinato monitu inſtructi, perceptam multò antè ſpem prolis augent, auctam votis, & ſolemni precatione ſibi ratam reſpondent. Neque preces incaſſum miſſæ, omnia majora, ſanctioraque ſecuta, quàm mens hominum ſperare auſa eſſet, ut ex non Sanctis Sanctus naſceretur. *Sabellic.*
C *lib.* 1. *cap.* 1.

☞ *Vide Tit. de Conceptione.*
Oracula, Prædictiones.

Deucalion ſolus cum Pyrrha, Epimethei filia, uxore ſua ſuperſtes à cataclyſmo, dicitur oraculum Themidos conſuluiſſe, quomodo inſtaurari genus hominum poſſet. Reſpondit dea, id fieri poſſe, ſi magnæ matris oſſa poſt tergum jacerent. Deucalion pro matre terram interpretatus cunctarum rerum parentem, & terræ oſſa, lapides: ipſe, & Pyrrha abſque commiſtione conjugalis thori, ſibi ſimile genus hominum faciebant, ex jactu videlicet lapidum. Nam quotquot poſt tergum ab illis miſſi erant, in homines mutabantur: verùm, quos Deucalion projecerat, viri facti ſunt: quos Pyrrha, mulieres. Quapropter homines, nempè vulgus, cœpit appellationem à lapidibus. Nam Græci etiamnum homines λαοὺς appellabant, à voce λᾶος hoc eſt, lapis. *Gilb. Cogn. l.* 2. *Narrationum.*

Erginus Minyarum rex, Herculis fortitudine, qui Thebanorum res defendebat, propè confectus, pacem cum eo fecit.
D Magna demùm congeſta pecunia, cupiditas eum liberos ſuſcipiendi cæpit, quamvis jam ſenem. Quare cùm Delphos ea de re conſulturus veniſſet, hujuſmodi reſponſum accepit:

Ergine ò Clymeni proles Presbonidæ, ad aram
Exquirens ſobolem veniſti ſerò. Sed & nunc
Temoni vetulo validum prætendito roſtrum.

Cùm igitur oraculi monitu adoleſcentulam uxorem duxiſſet, Trophonius, & Agamedes ex eo matrimonio nati ſunt. Etſi traditum eſt, Apollinis, non Ergini filium fuiſſe Trophonium, propter divinandi peritiam. *Pauſan. in Bœoticis.*

Ægeo regi Athenienſium, cùm ſobolem deſideraret, Pythiam perhibent celebratum oraculum edidiſſe: quæ præcepit, ne ullam mulierem priùs attingeret, quam appuliſſet Athenas. Verùm cùm id præſcribere non admodum liquidè videretur, Trozenen profectus, retulit Pittheo Apollini ſortes, quarum hæc ſunt verba:

Τὼ προῦχοντ' ἀσκοῦ ποδεῶνα ὦ φέρτατε λαῶν
Μὴ λῦσαι, πρὶν γουνὸν Ἀθηναίων ἀφικέσθαι. id eſt.
Ne ſolvas ex utero pedem, qui prominet, antè
Cecropiæ pingues quàm ſis delatus in agros.

Aſtipulatur ratio medica. Nam frequenti coitu ſemen li- E quidius, & debilius redditur: quique in alienis locis ſeſe exonerat, proprios minùs implere poteſt. Parere voluit Ægeus, verùm poſteàquam Trozenem apud Pittheum divertit, eique oraculum aperuit: Pittheus ei nocte Æthram filiam ſuppoſuit, ex qua ſuſcepit Theſeum. *Plutarchus in vita Theſei.* Hoc tamen oraculum Xenophon Peleo datum aſſerit. *Muretus lib.* 3. *Var. lect.*

Ætion Echecratis è Petra tribu, cùm Labdam Amphionis filiam claudam, quam nemo aliàs Bacchiadarum ducere volebat, duxiſſet, neque ex hac muliere, neque alia liberos procrearet: miſſus eſt Delphos ad conſulendum de prole. Eum introeuntem ſtatim Pythia his verſibus compellavit:

Ætion te nemo (licèt ſis tantus) honorat.
Conceptum pariet ſaxum grave Labda, monarchos
Qui cadet in cives, emendabitque Corinthum.

Hoc oraculum, quod Ætioni redditum eſt, eò tendebat, quò alterum anteà Bacchiadis redditum, haud priùs intellectum, quam hoc renunciatum eſt, in hæc verba:

Concipit in petris aquila enixura leonem F
Robuſtum, ſævum, genua & qui multa reſolvet.
Hæc bene nunc animis verſate Corinthia proles,
Qui colitis pulchram Pallenem, altamque Corinthum.

Id oraculum, cùm ad eum diem fuiſſet indeprehenſum, ſimul atque ex hoc Ætionis patuit, eodem utrumque pertinere, ſilentio Corinthii ſuppreſſere, Ætionis filium quacumque ratione extincturi. Ut primùm Labda enixa eſt, miſerunt ad eam decem viros, qui puerum interficerent. Illi verò, cùm puerum ſuaviter ridentem viderent, miſericordia moti abeunt. In itinere alter alterum neglecti imperii accuſare cœperunt: & tandem uno impetu ad atrium Ætionis acceſſere, ut participes fierent omnes ſimul cædis. Id ut animadvertit Labda, puerum in menſura frumentaria occuluit. Illi cùm puerum non inveniſſent, re infecta abierunt. Puer Cypſelus dictus eſt, à cyſela, id eſt, menſura frumentaria: qui poſteà Corinthum occupavit, & tyrannidem exercuit, pater Periandri tyranni. *Herodotus lib.* 5.

Lajus Thebanorum rex ducta uxore Jocaſta Creontis filia, cùm diutiùs caruiſſet liberis, oraculo conſulto, an eſſet filios habiturus, reſponſum tulit: Non conducere ſibi prolem habere: quòd qui ex eo prodiret filius, patrem occiſurus eſſet, G adverſaque fortuna domum funeſtaturus. Id quod poſtmodùm evenit nato filio Oedipo, cui apud Phocidem obviàm factus, cùm eum ignotum, utpotè in infantia expoſitum, nec hucuſque unquam viſum, de via cedere ſuperbiùs mandaſſet, Oedipus ira motus Lajum occidit, inſcius parentem eſſe. *Diodorus lib.* 4. *cap.* 4.

Danae Perſei mater, Acriſii Argivorum regis, & Eurydices Eurotei filia, cùm nata eſſet, Acriſius oraculum conſuluit, an marem filium poſteà habiturus eſſet. Reſpondit oraculum, nullum quidem marem habiturum, ſed à nepote, & filia occiſum iri: ut ſcripſit *Pherecydes in* 12. *Hiſt.* Hic fuit Perſeus Jovis è Danae F. Is Lariſſam veniens, avi ſalutandi cauſa, cùm certamen ibi celebraretur, ad id etiam Acriſius deſcendit. Dum igitur diſcum jaceret, diſcus in pedem Acriſii revolutus, illum vulneravit ita, ut ex eò vulnere interierit. *Natalis Comes Mythol. l.* 7. *c.* 8.

In Perſia, antequam Sapor rex naſceretur poſthumus, & ſubditi regem poſtularent; Magi reginæ prædixere, quod maſculum eſſet paritura. Idque priùs gravida equa probarunt. *Agathias lib.* 5. H

Omina.

Narrat *Oroſius lib.* 6. *cap.* 22. Auguſtum Cæſarem eadem die, qua Chriſtus natus eſt, mandaſſe, ne quis ſe Dominum deinceps vocaret: divinitatem credo, verum principem orbis terrarum, ac mundi totius natum eſſe. Idem quoque mandavit, ut in orbe Romano omnium hominum capita cenſu notarentur: ac ſi majori principi rationem gubernati imperii aliquando redditurus eſſet. Huic autem cenſui Cyrinum virum conſularem ex Senatuſconſulto præfecit. Pax præterea, & quies tanta fuit tum domi, tum foris, quanta nunquam anteà. Hunc enim juſtitiæ, & pacis regem prophetæ appellarunt. *Sab. lib.* 1. *Ennead.* 7. & *Platina.*

Somnia.

Iſrael, ſive Jacob Patriarcha, altiore ſomno preſſus in ſolitudine,

tudine, imaginatus eſt cernere ſe ſchalas à terræ facie in cœlum ſurrectas, multoſque miranda ſpecie juvenes, formaque auguſtiore humana, aſcenſum per eas, deſcenſumque moliri: tum verò doceri ſibi viſus eſt cœleſti voce, ut pergeret in Meſopotamiam ire: fore ut nuptiæ, quas animo agitaret, non ſolùm proſperè cederent, ſed miranda inde ſobolis incrementa ad poſteros ventura, futuramque eam ſtirpem omnibus terris celebrem. Nec defuit oraculo eventus. *Sabell. lib.9. c.5. Gen. 25. Fulgoſ. lib. 2. cap.5.*

Moysis, mortalium omnium cœlo familiariſſimi, ſalutaris ortus, dubium oraculo, an Memphitici alicujus vatis divinatione Pharaoni prædictus, multò priùs, quàm puer naſceretur, & regem ſolicitum habuit, & Amaramim patrem in ſpem certam erexit publicæ ſalutis. Enim verò per quietem monitus is, talem ex ſe, & uxore Jocabela filium naſciturum percepit animo, qualis poſteà ille fuit in ſuorum libertate vindicanda. *Sabell. lib. 1. cap. 1. ex Joſephi lib. 2. Antiq.*

Fuit Seleucus Antiochi filius, qui unus fuit ex claris Alexandri ducibus. Is uxorem Laodicen habuit, quæ ea nocte, qua Seleucum concepit, per quietem ſibi viſa eſt cum Apolline concumbere: à quo annulum anchoræ figura inſculptum in fidei argumentum accepiſſet: cumque in lecto repertum, diligenterque aſſervatum, Laodice Seleuco, de ſua origine edocto, in Aſiam cum Alexandro eunti, dedit. Adiicitur fabulæ, Seleucum, & ab eo procreatos, femur nativa anchora inſignitum habuiſſe. *Sabellicus lib. 7. Ennead. 4.*

Elisabella Darca, Lotharinga ruſtica. ☞ *Vide ſuprà, virtutum divina cognitio. §. Fortitudinis.*

SaroltHæ, Ungarorum ducis Geiſæ conjugi, dormienti, cùm uterum gereret, Stephanus protomartyr apparuit, eamque his verbis affatus eſt: Confide in Domino Jeſu Chriſto, mulier, & ex me divino mandato ſic habeo, te propediem ſcitum, fortunatumque puerum edituram, cui Pannonici regni debetur diadema. Ac talis is vir erit, qualem nunquam deinceps viſura eſt Pannonia. Demùm inter divos ipſi locus erit. Et cùm ego Stephanus ſim protomartyr, qui nunquam non ei adero, meum filio nomen imponito. His dictis evanuit. Saroltha ſomnio confirmata, protomartyri ad omnes aras ſacra fieri præcepit, & an. 909. puerum enixa eſt. *Bonfin. lib. 1. Dec.2.*

Gormo III. Danorum rex, Anglorum regis Edelfredi filiam Thiram, Dania ſub dotis nomine aſſignata, in uxorem accepit. Ea, prima nocte, qua genialem thorum conſcendit, ſponſum precibus aggreſſa, in triduum ſe virilis concubitus expertem dimitti petivit, non antè rebus venereis indulgere conſtituens, quàm matrimonium creandis liberis efficax futurum aliquot per quietem præſagio didiciſſet. Indulſit hoc ſponſæ Gormo, & gladio nudo medio interpoſito, vim libidinis patienter repreſſit: mox in ſomnum ſolutus, vidit duos alites è conjugis ſuæ genitali parte lapſos, ſed alterum altero grandiorem, præpeti cœlum volatu petere, exiguoque tempore interjecto reverſos, ſuis manibus inſidere, & exigua quiette recreatos, rurſus avolare, ſed minorem cruentatis pennis ſolùm reverti. A ſomno excitatus, cùm Thiræ ſomnium recitaſſet, illa augurio paruit, & ex eo Haraldum, & Canutum ſuſcepit: qui cùm virilem attigiſſent ætatem, Sclavos domuerunt, Angliam invaſerunt, & ab avo regni hæredes inſtituti fuerunt. Tandem Canutus, occupata Hybernia, dum ludos ſpectat, ſagittæ ictu interfectus eſt, Haraldo ſuperſtite. *Saxo lib. 9.*

Matrona pariendi avida, ſed an gravida eſſet incerta, viſa eſt in ſomniis ſigillata genitalia habere. Alter ex conjectoribus, minimè prægnantem, aut parituram aſſeruit, fore enim præcluſum partus iter, alter contrà: ea enim duntaxat claudi, & conſignari ſolere, quæ plena ſint. *Petrarcha.*

CORPORIS MALORUM QUORUMLIBET DIVINA COGNITIO. UTPUTA

MORTIS TUM PROPRIÆ, TUM ALIENÆ *Revelatio.*

Aſcenderunt Moyſes, & Aaron juxta mandatum Domini in montem Hor, coram omni multitudine. Cùmque Aaron expoliaſſet ſe veſtibus ſuis, induit eis Eleazarum, & mortuus eſt ibi Aaron. *Num. 20.*

Simeoni Juſto oraculum datum de morte, quamprimùm Chriſtum Domini vidiſſet. *Lucæ 2.*

L. Corn. Sylla non tantùm prævidit fatum ſuum, verùm etiam de eo aliquatenus ſcripſit. Siquidem 12. commentario Rerum à ſe geſtarum, biduo antequàm deceſſit, extremam manum impoſuit: ac prædixiſſe, ait ſibi Chaldæos, ubi præclarè vixiſſet, in flore ſe felicitatis exceſſurum, *Plut. in Sylla.*

Druso longè, latèque Germaniam populato ad Albim uſque, Mulier quædam humana forma major, ei obviàm veniens, dixit: Druſe, quò tandem nullum cupiditati tuæ modum ſtatuens contendis? non tibi ſatis conceſſum hæc omnia videre: Quin tu abi, jam enim & operum tuorum, vitæ & inſtat tibi terminus. His auditis, Druſus continuò curſum retrò flexit, & in itinere, priuſquàm ad Rhenum perveniret, ex morbo deceſſit. *Dion. Nicæus lib.55.*

Cœperat Nero de B. Petri Apoſtoli morte cogitare. Cujus rei ille admonitus, ad ſæviſſimi principis iram declinandam, amicorum conſilio conſtituit urbe excedere. Et jam ad primum lapidem proceſſerat, cùm Chriſtus rex factus eſt illi obviàm. Tum Petrus procidens in genua: Quò pergis, inquit Domine, Romam (ait ille) iterùm crucifigi. Eſt miraculoſi hujus occurſus auctor Egeſippus. Et nunc via Appia extra urbem ſacellum viſitur, monumentum rei ibi actæ. Petrus ratus id oraculum ad ſuum exitum pertinere, Romam continuò reverſus, Clementem Epiſcopum conſecravit, Eccleſiam commendavit piè, & ſanctè inſtitutam, & haud multò pòſt cum Paulo, qui tum Romæ erat, Neronis juſſu interfectus eſt, nec eodem ſupplicio. Petrus pedibus in ſublime elatis, cruci affigitur: quod ſupplicii genus ſibi optaſſe ferunt. Eſt & Paulus eodem die ſecuri ſubiectus. *Sabell. l.2. Ennead. 7. ex Platina, & Egeſippo l.3. c.2.*

Neroni paucis ante ipſius cædem diebus, de Mauſoleo Auguſtorum vox exaudita fertur, nomine eum ciens. *Suetonius.*

Julianus Eremita circa Edeſſam Syriæ, cùm Deum pro Eccleſia contra Julianum rogaret, ſubitò mentis gaudio perfuſus, vultu ad hilaritatem compoſito conſedit. Cauſam rogantibus familiaribus, reſpondit: Aprum Dei vineam vaſtantem, debitas pœnas luiſſe. Deprehenſum tandem, eadem hora Julianum interfectum fuiſſe. *Theodor. l.3. c.24.*

Pridie, quàm periit Julianus, Ethnicus, quidam eo ordine judicum, Antiochiæ juxta prætorium excubans, vidit congeriem ſtellarum, literas in hanc ſententiam exprimentem: Hodiè Julianus in Perſia occiditur. Notato tempore, poſteà cognitum eſt, eodem die fuiſſe eum interfectum. *Zonaras tom. 3.*

Aristæneta præfecti uxor, ſed nihil de præfecti ambitu habens, venit ad Hilarionem, volens etiam ad Antonium in Ægyptum pergere. Cui ille flens: Vellem, ait, ipſe quoque ire, ſi non carcere hujus monaſterii clauſus tenerer, & ſi eundi fructus eſſet: biduum enim hodiè eſt, quòd totus mundus tali parente orbatus eſt. Credidit, & ſubſtitit. Et poſt paucos dies veniente nuncio, Antonii dormitionem audivit, *Hieronymus in vita Hilarionis.*

Joanni Chrysostomo, cùm Imp. Arcadii juſſu in exilium deportaretur, paulò antè diem migrationis ſuæ, aſſerit *Nicephorus*, noctu oranti Petrum, & Joannem aſſiſtentes, amicè cum eo collocutos eſſe, eique cùm adversùs dæmones victoriam, tum poſtremò migrationem ad Dominum, & futurorum bonorum perceptionem annunciaſſe. *In vita Joan. Chryſoſtomi* legitur, Baſiliſcum Epiſcopum urbis Comanæ (is cum Luciano presbytero Antiochiæ ſub Maximiano Imp. Martyrio coronatus fuerat) Chryſoſtomo, jam pulſo in exilium, apparuiſſe, & dixiſſe: Frater Joannes, eſto bono, & forti animo, cras enim ſimul erimus. Priùs ejus templi Presbytero apparuiſſe, dixiſſeque: Præpara locum fratri Joanni, mox enim venturus eſt. Vera hæc fuiſſe poſteà eventus comprobavit.

Paulinus Nolanus antiſtes, cùm Vandalico bello omnem in ſuis popularibus redimēdis domeſticam pecuniam conſumpſiſſet, ſeipſum poſtremò barbaris captivum obtulit, ut ſuus viduæ filius reſtitueretur, ſervivitque in Aphrica apud Genſerici Vandalorum regis generum, ignoto habitu, eſtque brevi morum dexteritate illi inſinuatus. Enimverò cùm hortum coleret, nunc flores, nunc olentes herbas herili menſæ inferens, tempeſtivo alloquio facilè conſecutus eſt, ut multò honeſtiùs coleretur, quàm præſens fortuna poſceret. Quinetiam herum hortatus dicitur, ut ſuis rebus maturè conſuleret, fore ut paucis diebus Genſericus ex humanis decederet. Is, oraculo ad Genſericum delato, illius juſſu ſuum in regiam mancipium traxit. Dicitur Genſericus hominem intuitus, immotum aliquamdiù ſtetiſſe, ſtupenti ſimilis: inde ad generum converſus. Certè ſic habet, inquit, brevi nobis eſt è vita migrandum. Proxima nocte viſus ſum mihi ſiſti ad trium judicum tribunal, eſtque

eſtque in his obſervata mihi ſpecies huic homini perquam ſimilis. Tulerunt hi judiciunt, ut flagellum, quod erat in manibus, deponerem. Magna inde cura ſubiit animum ſciſcitari quis eſſet. Verùm ubi perſona ampliùs celari non potuit, eſtque ſimul cognita ſervitii cauſa, donatur confeſtim libertate, donantur municipes omnes Nolani, qui in Africa ſerviebant, in ejus gratiam. Atque ita Paulinus ſuorum cœtu ſeptus, duabuſque navibus frumento onuſtis, triumphanti ſimilis in Italiam tranſmiſit. Meminerunt viri hujus *Hieronymus in Dialogis, Gregorius. Sab. lib.2. En.8.*

Beatus Martinus Turonenſis Epiſcopus, obitum ſuum multò antè prædixit, quo jam proxima mala valetudine graviter affici cœpit. Tunc diſcipulis flentibus: Nec mori, inquit, timeo, quia impii Domini ſervus ſum: nec vivere recuſo, ſi vobis adhuc neceſſarius ſum. Languens autem, & morbo tantum non conſumptus, cubabat in cilicio, & cinere, neque alio in ſtratu Chriſtianum mori oportere ajebat. *Marul. lib.5. c.10.*

Antonio Monacho, qui Romæ in Gregoriano monaſterio vitam piè, ſanctèque degebat, die quodam dictum eſt: Paratus eſto: & quia Dominus jubet, migra. Qui cùm ſibi viatica ad migrandum deeſſe reſpondiſſet: audivit, ſi de peccatis ambigeret, jam dimiſſa eſſe ſciret. Multum tamen ille hac de re dubitare cœpit, & ſequenti nocte, cùm ſe ſopori dediſſet, eodem oraculo ſollicitatus dubitare deſiit. Exinde die quinto, febris repentino æſtuans ardore, animam reddidit exactori ejus Deo tam feliciter quàm libenter. *Idem.*

Benedictus Abbas diem ſuum poſtremum præcognovit: & quibus hoc indicaverat, ne cui, antequam eveniſſet, dicerent, injunxit. Sexto autem die ante eventum aperiri tumulum juſſit, & febricitare cœpit. Deinde ingraveſcente morbo, in oratorium delatus, ſublatis manibus Deo ſe commendans, inter diſcipulorum manus expiravit vigilia Paſchatis. *Greg. lib.2. Dial. cap.37.*

Maurus, Benedicti ſenioris, Abbatis Caſſinenſis diſcipulus, cùm prædicandi Evangelii cauſa in Galliam à Benedicto miſſus eſſet, in monaſterio Antiſiodorenſi à S. Romano monacho extructo, cum ipſo Romano de Benedicti morte collocutus fuit: & ei pridie quàm moreretur Benedictus, ad Dominum ipſum migraturum prædixit. Ea igitur de cauſa hortatus eſt Romanum, ut unà ſecùm templum ingrederetur, quò ambo ibi pernoctantes, ſanctiſſimi Abbatis mortem, quacunque hora immineret, Pſalmis, & orationibus Deo commendarent. *Chronicon Ivonis in Juſtiniano.*

Germanus, Pariſienſis Epiſcopus, ſupra lectulum ſuum inſcripſerat, v. Calend. Junias. Nemo inſcriptionis cauſam noſſe potuit, donec eodem, qui notatus fuerat, die, ipſum vita defungi contigit. *Marul. l.5. c.10.*

Gudbertus (ut *Beda* ſcribit *l. 4. c. 29.*) primò monachus, deinde Epiſcopus, obitum ſuum in proximo futurum, ſibi divinitùs prænunciatum. Herberto presbytero eremitæ, quem chariſſimum habebat, indicavit. Et ille, ne in morte quidem talem amicum deſerere cupiens, obſecrare cœpit, uti ſe quoque ea in re comitem aſſumeret. Tunc Epiſcopus Deum aliquamdiù precatus: Herberte, inquit, Dominus noſter te voti tui compotem facit: proinde præpara te, mecum unà deceſſurus. Itaque anno pòſt, quamvis locorum intervallo diverſi manerent, cùm die, qua prædictum erat, deceſſiſſent: junctis tamen ſpiritibus, cœlum ſimul petiere. *Ibidem.*

Venerabilis Beda Presbyter, Domino revelante præcognovit, die tandem quinquageſimo ſe à corporis vinculis exſolvendum. Itaque feſto Dominicæ aſcenſionis, dum in Eccleſia cum cæteris veſperas celebraret, nulla ægritudine affectus, atque etiam ſtans in hemicyclo, cubitiſque innixus, finitis veſperis expiravit: mirabiliſque odoris fragrantia ſubſecuta eſt, ut planè, quo die in cœlum Chriſtus aſcenderat, eodem & ſervum Chriſti, relicto in terra corpore aſcendiſſe, nemo dubitaret. *Idem.*

Liberalem, qui Altini genitus, Tarviſii ſepultus eſt, oraſſe perhibent hujus vitæ finem: & ipſum exauditum, Angelo nunciante didiciſſe. Poſt hæc vicinas inviſiſſe Eccleſias, & in ea, quæ S. Laurentii eſt, Deo animam reddidiſſe. *Idem.*

Cassius Narnienſis Epiſcopus, ſacris operaturus, crebrò in fletum prorumpebat. Et Dominus cuidam presbytero per viſum apparens: I, ait, nuncia Caſſio, uti operi ſolito conſtanter incumbat, natali die Petri, & Pauli Apoſtolorum accepturus laboris mercedem. Perſeveravit Caſſius, & anno demùm ſeptimo pòſt, ſed ea, qua prædictum fuerat, die, vita defunctus eſt. *Marulus l.4. c.10.*

Amator, Antiſiodorenſis Epiſcopus, qui etiam in matrimonio virginitatem ſervare potuit, ultimum ſibi diem imminere præſcivit. Et cùm ad Eccleſiam perrexiſſet, ſermonemque ad populum habuiſſet, in ſolio ſuo ſedens, animam efflavit. Quam ſub columbæ effigie in ſublime volantem, quidam conſpexere, ut eo viſu & puritas virginitatis, & meritum pateſceret ſanctitatis. *Marul. lib.5. cap.10.*

Ivonem Presbyterum tradunt diem, qua mortem obiturus erat, prædixiſſe: ac ne, cùm ægrotaret quidem, conſuetæ abſtinentiæ modum remiſiſſe. Poſtremò, corpori & ſanguini Domini communicatum, die nocteque intentis in imaginem crucifixi oculis orando perſeveraſſe, & altero illuceſcente die ſpiritum reddidiſſe. *Idem.*

Severus, Præſul Ravennas, tempore Juliani principis, prænoſcens vitæ ſuæ exitum, aperto ſepulchro inter filiam, & uxorem ſe medium collocari juſſit. *Volat. Anthr. lib. 19.*

Petrus, D. Gregorii Pont. Max. diſcipulus, pluries capiti ipſius Spiritum S. in figura columbæ inſediſſe vidit. Cumque id prodidiſſet: Ne credite, inquit, niſi me nunc mori conſpexeritis. Hac tanta veri aſſertione uſus eſt, ut invidiam nonnullorum reprimeret, qui ſcripta Pontificis laceſſentes, delenda, ignique tradenda cenſebant. Sciebat autem meriturum ſe, ut primùm ſecretum illud vulgaſſet. Ipſo igitur Petro, ſicuti prædixerat, moriente, expavefacti adverſarii, illum, quem paulò antè petulanter mordere non dubitarant, venerari cœperunt, ſanctumque, ac beatum dicere. *Marul. l.6. c.16.*

Agilus, Resbacenſis Abbas, cùm annos plurimos Deo ſerviiſſet confidenter precatus eſt, ut è vita decederet: & reſponſo accepto, ejuſce voti peracto biennio compotem ſe futurum gaudere cœpit: utpote qui tum demùm veram vitam inchoaturus eſſet, cùm hanc finiiſſet. In obitu ejus Ado Monachus lætantium Angelorum cantus audivit. Duo prætereà, alter febri laborans, alter dentium dolore vexatus, tactu corporis ejus curati ſunt. *Idem.*

Anastasius, Abbas monaſterii, quod Suppentonia vocatur, à ſaxo, quod monaſterio ſuo imminebat, vocem exaudivit, ſe cum quinque aliis vocantem, cujus vocis auctorem nullum videbat: ne multò pòſt ſeptimus quoque fuit vocatus: qui omnes eo ordine, quo vocati erant, haud multò pòſt mortui ſunt. *Ful. lib. 1. cap. 4. ex Greg. Magni. l.1. Dialog.*

Amatæ in Thebaidis monaſterio abbatiſſæ, Coronatus Martyr apparuiſſe dicitur, & ut proximo Dominico die ad Eccleſiam ſuam cœnatum veniret, eam invitaſſe. Ipſa igitur, quæ per annos quadraginta limen monaſterii nunquam tranſgreſſa fuerat, tunc primùm, ut martyri morem gereret, exiit, & cœnulam quam ſecum tulerat, in Eccleſia ejus peregit. Inde reverſa, ſororibus propediem ex hac vita ſe migraturam prædixit. Ac poſt biduum nulla corporis infirmitate laceſſita, ubi ſe veluti ſepeliendam compoſuiſſet, expiravit. *Marulus lib.5. cap. 10.*

Galla Chriſto dicata, in monaſterio, quod apud ædem Petri Apoſtoli Romæ ſitum erat, dum cancri morbum in mamilla patiens jaceret, duo candelabra ante lectulum ejus accenſa per noctem lucebant: inter illa medius idem Apoſtolus ipſi apparuit; cujus repentino conſpectu læta magis quàm perterrita, interrogavit, eſſentne delicta ſua ſibi dimiſſa? & cùm dimiſſa eſſe accepiſſet, ab eodem evocata, ut jam ex hac vita ad meliorem migraret: Rogo, inquit, ut ſoror Benedicta mecum veniat, & reſponſum accepit, alteram nunc ſecum venturam: Benedictam autem die poſteà trigeſimo ipſas ſecuturam. Abiit viſio, atque illa excitis ad ſe ſororibus, quòd viderat, enarravit. Inde die tertio cum illa, quam Apoſtolus prædixerat, ſimul mortem oppetiit. Die inde trigeſimo, Benedicta quoque moriens oraculum implevit. *Idem.*

Romula, Redemptæ religioſæ fœminæ diſcipula, Chriſto fideliter Romæ ſerviebat. Sed dum debilitatis paralyſi membris langueret, Redemptaque, & altera diſcipula jacenti aſſiderent, ſubita lux in cubiculo refulſit, & aſſidentium oculos pariter mentemque perſtrinxit: Mox etiam intrantis turbæ ſtrepitum audierunt, ſed neminem viderunt. Exceſſit lumen, & ſecuta eſt odoris grata ſuavitas, quæ pavorem quoque ex luce illa, tumultuque conceptum leniret. Sub hæc Romula ipſa: Nolite timere, inquit, non morior modò. Poſtea vero die quarto, cùm ſacram communionem accepiſſet, pro foribus cellulæ ejus pſallentium chori auditi, & illa corporis vinculis expedita, cùm iiſdem cœlum petiit. *Idem.*

Ambrosius Mediolanenſis Epiſcopus, diem mortis ſuæ

prævidit, & fratribus quoque indicavit. Dictavit ergo enarra- A tionem Pſalmi 44. Deus, auribus noſtris audivimus, atque inter dictandum conſpecta eſt clypei figura: quæ cùm evanuiſſet, mirifico fulgore faciem Ambroſii illuſtravit, & per os ejus intrare viſa eſt. Quid hoc aliud eſt, quàm Chriſtianæ fidei clypeum Ambroſium, contra hæreticorum inſultus paulò pòſt obiturum, & veluti diſpariturum, cujus tamen ſcriptis aſſiduè devoratis novus ſplendor Eccleſiæ acceſſurus eſſet? Teſtis *Paulinus*.

Alexandriæ Calligraphus quidam vir pius, cùm ab excubiis nocturnis domum rediret media nocte, audivit ſimulacra ab altaribus dicentia, Mauritium Imperatorem cum liberis eſſe trucidatum: & quæ præterea Byzantii contigerant. Id is ſummo mane Auguſti narravit: qui eum ſilentio rem tegere juſſit, annotatoque die exitum expectavit: eſtque de ejus cæde die pòſt nono certior factus. *Cedrenus*.

NICEPHORUS PHOCAS Imperator Palatium Conſtantinopolitanæ arcis muniit, in quo prædictum ei fuerat ipſum moriturum. Quo tempore verò murus palatii condebatur, nocte quadam per mare ſubvectus aliquis ita vociferatus eſt: B O Imperator, erigis muros: & tametſi vel ad cœlum eos educas, intus cùm ſit malum, urbs captu facilis eſt. Qui hæc dixit, diù, multùmque eſt quæſitus, non tamen inventus. Muro autem abſoluto, tunc periit: ea ipſa die, cùm ei claves is, cui id negotii commiſſum erat, in manus traderet. *Cedrenus*.

EURICUS Veſtgothorum rex, convocatis ad ſe proceribus ſuis prædixit, ſe ad nonum diem è vita mortali tranſiturum: impetravitque ab illis, ut Alaricum filium ſuum in regni ſolium collocarent. Ei moriens præcepit, in primis ut Deum diligeret, Dei miniſtros honoraret, ſine fidelium procerum conſilio nihil arduum tentaret, ſubditos amaret, juſtitiam coleret, clementiam ſervaret, omnibuſque ſe benignum, & liberalem exhiberet. Deinde ſuperveniente nono die, ex temporali regno ad æternum migravit, Arelate tumulatus. *Joannes Magnus lib.15. cap.ult.*

Spoliatus in Italia paterno regno Aripertus Longobardorum rex à Grimoaldo Beneventano duce, quem in diſcordia frater ejus ad ferendam opem vocarat, cum ex Gallia in Britanniam omnium egens traiiceret, vocem ſine ullo certo au- C ctore audivit, monentis, Grimoaldum mortuum eſſe: & propterea hortantis, ut ad paternum regnum rediret. Is igitur in Italiam rediens, nullo labore regnum, quod amiſerat, recepit. *Fulgoſ.lib.1.c.6.& ante illum Regino, item Paul. Diacon.lib.5. cap.13.Sabellic.Ennead.8.lib.6.* Anno Domini DCLXX. juxta *Sigebertum*.

Cùm Eldredus Angliæ rex graviter decumberet, Dunſtanum, Cantuarienſem Archiepiſcopum, ad ſe accerſit. Qui cùm properè ad aulam contenderet, è cœlo vocem audivit: Ecce rex Eldredus obdormivit in Domino. Qua voce equus, quo vehebatur Dunſtanus, concidit. *Vincentius lib. 24. cap. 76.*

Cùm Chenelmus, Cenulfi Merciorum regis optimi optimus filius, opera Quenredæ ſororis ſceleſtiſſimæ in prima pueritia ab educatore ſuo jugulatus, & ne facinus proderetur, in loco devio terra humatus eſſet: ferunt, non multò pòſt ſchedam aureis literis ſcriptam Romæ in templo D. Petri ſuper princeps altare incerto auctore poſitam, & in ea martyrium innocentiſſimi Chenelmi indicatum, declaratumque fuiſſe, ubi loci corpus jaceret: Corpus inventum, multo cum honore in cœnobio Vinchelcumbenſi ſepultum fuit. *Polydo-* D *rus lib.4.*

HENRICI II. Imp. ſanctiſſimi mors Eremitæ cuidam ex ſtrepitu malignorum ſpirituum innotuit. Ferunt enim, Imperatorem inter venandum ſæpiùs anachoretam religioſum, & ſanctum virum adiiſſe, & de Deo, ac virtutibus cum eo diſſeruiſſe. Is cum Hieroſolymam viſurus itineri ſeſe accingeret, Imperator illi calicem aureum immenſæ magnitudinis, duabus anſis inſignem, in Jordanem ter immergendum ob honorem individuæ trinitatis committit, dum redeat: donans item illi, quantum ſat erat, viatici. Hic per Conſtantinopolim rediens, Bulgariam tum eremitis abundantem obambulat: quos ſingulos rogavit, ut Deum pro pientiſſimo Imperatore, ejuſque incolumitate ſuis precibus rogarent. Dum ita colloquuntur viri religioſi, unus ex iis Imperatorem vita functum narrat, viſionemque nocturnam pluribus explicat, qua ſe vidiſſe calicem divæ Mariæ Virgini dicatum, cui anſa una deſtructa fuit, fatetur. Id quomodo acciderit, ex viſione demonſtrat. Anachoreta ſarcinam ſuam reſerat, ac calicem fractum reperit, qui etiam hodie miraculi teſtimonium Babenbergæ oſtenditur. Ubi domum rediit, Imperatorem eo deceſſiſſe die, quo in eremo fuit, agnovit. *Cuſp. A. D.*

E Eremita quidam in rupe, juxta publicam viam ditionis Neapolitanæ, habitans, dum noctu poſt pſalmorum recitationem, ad explorandam horam aperiret feneſtram, vidit Æthiopes longo ordine incedere, & ſtramine onuſtos incendium minari. De ſua conditione interrogati, ſe dæmones eſſe dixerunt, & fomites ignium comburendis hominibus conferre, jamque Pandulphum Capuanum principem morti vicinum præſtolari, eademque hora Pandulphum expiraſſe deprehenſum. Confeſtim Veſevus mons flammas evomuit, tantaque copia reſina ſulphurea inde effluxit, ut torrentem faceret, qui cum impetu ſe in mare exoneraret. *Chron.Caſſ.lib.2. cap. 84.*

LUDMILLA, Borivorii primi apud Boemos principis Chriſtiani uxor ſanctiſſima, D. Wenceslaum nepotem inſtituit, Drahomiræ nurus nequiſſimæ inſidiis in templo necatæ. Inſtante exitii die, quem Ludmilla futurum divinitùs præviderat, vocat ad ſe clientulos omnes, mercedemque cuique ſuam diſſolvit: & prætereà quicquid in penu, in cella, in horreis, in loculis redundaret, id ſua manu in ſinus, uſuſ- F que pauperum transfudit. Poſt hæc remotis arbitris, ac ſolo adhibito Paulo ſacerdote, ante aram provolvitur, factaque exomologeſi, de manu ejuſdem ſacerdotis ſacroſanctum vitæ accepit viaticum: mox inde fini ſuo propitium Deum exorat: cùm ecce ibi eadem hora ſubmiſſi à nuru, Thomas, & Gumo, non tam genere, quàm ſcelere nobiles, in ſacrarium irrumpunt, ac velo, quo ſancta vidua caput velatum habuit, eliſis faucibus proſtratam ſuffocant. *Dubravius l. 5.*

BRUNO Wirtzburgenſis Epiſcopus anno M. XLV. Henric. III. Imp. Rom. contra Ungaros profectum comitatus, in Danubii Strudelo (ut vocant) atram Æthiopis imaginem de ſaxo ſe vocantem audivit, his verbis: Heus, heus, heus Epiſcope, malus ſum tuus genius, meus es, & quovis gentium proficiſcare, meus eris: nihil quidem in præſentiarum agere adversùs te habeo, brevi tamen iterùm me videbis. Non multò pòſt in vico Boſemburg Cæſarem Richlita vidua Adalberti ab Eberſperg magnificè hoſpitio excipit, oratque ut Boſenburgi prædia nepoti ſuo ex fratre tradat. Cæſar cœnaculum conſcendens, dum coram Brunone Epiſcopo, & Alemanno Eber- G ſpergenſi, atque Richlita extendens dextram poſtulatis annuit, repentè contignatio collabitur. Henricus abſque graviore periculo in alveum ſolii balnearii cecidit. Bruno tabellis lignei labri graviter alliſus paucis pòſt diebus extinctus eſt. *Hermannus contractus.*

WILHELMUS Roſchildenſis Epiſcopus, funeri Suenonis regis Daniæ occurrens, duas proceras arbores in via decidi, atque in uſum lecti funebris ſibi aptari præcepit, ſe enim unà cum rege condendum tumulo, moxque præter omnium opinionem expirans Epiſcopus, feretro à ſuis imponitur, & ante regem defertur. *Saxo Gram.l.11.*

MENVVERCUS, Paderburnenſis Epiſcopus, finem fecerat vivendi. Intellexit Godhardus Hildesheimenſis Epiſcopus, inſinuante ſpiritu Domini, quendam ex Saxoniæ Epiſcopis diem ſuum clauſiſſe. Et jam ſolito ſeriùs differebat ſacrum ad altare miniſterium. Erat propè prandendi hora: & admonitus à quodam, quòd hora appropinquaret edendi, reſpondit, Eveſtigiò nuntium expecto, qui mortem mihi nunciet unius ex chariſſimis, cui miſſarum debeo ſuffragia. Aderat non inde diu, qui Menvverchum Paderburnenſem nunciaret Epiſcopum exceſ- H ſiſſe rebus. Mox accingitur Godhardus, & pro ſua conſuetudine humillimè, ac devotiſſimè peregit miniſterium. Inde ubi aſſedit menſæ ſuæ, utraque manu ſimilam apprehendit, & compreſſit: O beate, inquit, Menvverce, quandoquidem te lata tua ſimila à communi morte non liberavit, neque ego quamdiu ſuperſuero, de albo pane unquam guſtabo. Idque ipſe per duos annos, minus uno menſe, quibus ſuperfuit, ſervavit. Ita purè narrant annales: quid ſibi velint, non ſatis accipio. Menvvercus quidem fratribus ſuis ſimilam dedit in pane. Hoc an detrimento fuerit, dubitari poteſt, quòd Godhardus ſibi ab illo pane indixerit, & ſervaverit abſtinentiam. *Crantzius Metrop. lib. 4. cap. 7.*

D. THOMÆ Aquinatis mors Alberto Magno revelata eſt, dum maneret in conventu fratrum ſuorum Colonienſi. Nam in lachrymas reſolutus, teſtatus eſt multis fratribus, filium ſuum in Domino chariſſimum Thomam emigraſſe. *Id. lib. 8. cap. 51.*

ALFONSO Catholico Aſturum rege optimo mortuo, anno Salutis DC. XC. voces pſallentium in aere feruntur auditæ: Ecce

Ecce quomodo tollitur juſtus, & nemo conſiderat: ablatus eſt A à facie iniquitatis, & erit in pace memoria ejus. *Rodericus Toletanus lib.4. rerum Hiſpan.c.5.*

HERMANNUS, Comes de Winzenborg, frater Alberti marchionis Brandeburgenſis, Conrado tertio imperante, Suevi cujuſdam militaris viri conjugem conſtuprarat. Redeunti marito flens mulier occurrit, vim ſibi illatam queſta. Ingemuit maritus, & obſervato tempore arcem primo manè conſcendit: & (ut erat Comiti conjunctiſſimus) dormientem eum ad latus conjugis confodit, Muliere autem geſtare ſe utero exclamante, qui ulciſceretur, minantem junxit marito, & confeſtim equum conſcendens cum uxore in Sueviam abiit. Erat in arce ſpiritus (incertum qualis) qui varia ſpecie ſe ſæpiùs oſtenderat. Is ſtatim monuit Epiſcopum Hildesheimenſem in ſtrato ſuo quieſcentem: Surge (inquit) raſe, & vacantem occupa Wirzenborg arcem. Ille confeſtim cum expeditis, eò contendit, & conſenſu Imperatoris conjunxit Eccleſiæ arcem cum oppido Alvelde. *Crantz.l.6. Sax.c.11. & l.6. Metr.c.20.*

BAPTISTA CARDANUS, Papiæ ſtudens, nocte quadam ut ſurgeret, igniculum tentabat accendere. Interim audivit vocem hanc, Vale, fili, mi, Romam vado: viditque immenſum B ſplendorem, inſtar faſciculi paleæ ardentis. Territus abjecto focili, ſub culcitra latuit, donec contubernales ex academia redirent. Ubi redierunt, exiſtimantes illum ægrotare, pulſant oſtium: aperit. Moræ cauſam ſciſcitantibus, reſpondet arbitrari ſe mortuam matrem: narrabatque quæ viderat, & audierat, ſimulque flebat. Illi in jocum rem verterunt, partim irridentes, partim conſolantes. Sequenti die, cùm nondum accepiſſet nuncium de matris ægritudine, de morte certior factus eſt, quòd ea ipſa hora expiraſſet, qua ille hæc præſenſerat. Abeſt Cardanum oppidum à Papia millia paſſuum quadraginta duo. *Cardanus de Rerum varietate, lib.15. cap.84.* hæc de ſuo narrat affine.

ORACULA. PRÆDICTIONES.

AUGURIA. AUSPICIA. SOMNIA IN GENERE.

☞ *Quærantur locis propriis, Quædam tamen hìc addemus Oracula, Prædictiones.*

ALTHEMENES, Catarei filius Cretenſium regis, cùm ora- C culum ſciſcitaretur, reſponſum tulit, in fatis eſſe, ut pater ab eo interficeretur. Id evitare cupiens, ſponte cum plurimis voluntariis abiit in eam Rhodi oram, quæ Camiros dicitur, Catatreus filii unici actus deſiderio, profectus eſt in Rhodum, nati in Cretam deducendi cupidus. Cùm noctu in Inſulam deſcendiſſet, orta inter ſuos, locique incolas contentione, ac pugna, Althemenes ſuis auxilio occurrens, jaculo inſcius patrem occidit. Qua ex re Althemenes dolore ingenti perculſus, cùm tantæ vim calamitatis ferre non poſſet, fugiens hominum conſortia, ac ſermones, ſoluſque per deſerta, inviaque loca oberrans, dolore conſumptus expiravit. Cui à Rhodiis poſtmodum honores heroum impenſi ſunt. *Diod.lib.5.c.13.*

MYCERINUS rex, cùm ex urbe Buti oraculum accepiſſet, fore, ut ſex omnino annos viveret, ſeptimo defuncturus, ægrè tulit, viciſſimque miſit ad oraculum contumelioſas querimonias: quod cum pater ſuus & patruus, qui deorum immemores templa clauſerant, hominesque perdiderant, tam diù vixiſſent, ipſe piè faciens, tam citò foret vita defuncturus. Rurſus ei oraculum reſpondit, propterea ipſum properè vitam finiturum, quòd non id faceret, quod deberet. Oportere enim Ægyptum centum quinquaginta annis affligi: idque qui ante eum D fuiſſent reges feciſſe, ipſum verò nequaquam. Hæc ubi accepit Mycerinus, ſe jam numinibus damnatum, lucernas fecit permultas, atque iis per noctem accenſis, venationibus, & aliis exercitiis ſtudioſè invigilabat, totuſque in eo erat ut ex noctibus dies faceret, ut oraculi terminum prorogaret, & ex ſex annis duodecim efficeret. Nam ſi ſex continuis annis nulla nox eſſet, ſex totidem aliis continuas noctes eſſe oportere exiſtimabat, ad oraculi fidem confirmandam. *Herod.l. 2. in Euterpe.*

AMPHIONIS tota domo ex peſtilentia deleta, ſucceſſit in regno Thebano Lajus. Is ſumpta uxore Jocaſta, Creontis filia, cum diutiùs caruiſſet liberis, oraculo conſulto an eſſet filios habiturus, reſponſum tulit, non conducere ſibi prolem habere; quod qui ex eo prodiret filius, patrem occiſurus eſſet, adverſaque fortuna domum funeſtaturus.

Λάϊε Λαβδακίδη, παίδων γένος ὄλβιον αἰτεῖς.
Δώσω τοι φίλον υἱὸν· ἀτὰρ πεπρωμένον ἐστι,
Σοῦ παιδὸς χείρεσσι λιπεῖν φάος· ὡς γὰρ ἔνευσε
Ζεὺς Κρονίδης, Πέλοπος στυγεραῖς ἀραῖσι πιθήσας,
E Οὗ φίλον ἥρπασας υἱόν, ὁ δ' ηὔξατο σοὶ τάδε πάντα.

Laje Labdaci fili, filiorum genus beatum poſtulas. Dabo tibi charum filium: ſed fatale eſt, tui filii manibus relinquere lucem. Sic enim annuit Jupiter Saturnius Pelopis diris execrationibus perſuaſus, cujus charum abſtuliſti filium, hic imprecatus eſt tibi hæc omnia.

LAJUS ergo natum infantem trajectis ferro pedibus exponi præcepit: unde & Oedipus cognominatus eſt, à tumore vulneris. Sumptum puerum domeſtici cùm non expoſuiſſent, cuidam ſervili mulieri nomine Polybiæ tradidere. Cùm jam vir factus eſſet, deum de infante expoſito conſulere ſtatuit Lajus, Oedipus quoque à quodam ſe fuiſſe expoſitum certior factus, & ipſe Pythiam, qui ſui parentes forent, rogatum proficiſcebatur. Cùm ambo apud Phocidem invicem obviaſſent, Lajuſque illum de via cedere ſuperbiùs mandaſſet: Oedipus ira motus Lajum occidit, inſcius parentem eſſe. *Diod.l.4.c.6.*

In Piſa, Peloponneſi urbe, Mars ex Ægina, Aſopi fluvii filia genuit Oenomaum. Hic unicam filiam Hippodamiam appellavit. Finem vitæ ab oraculo ſciſcitanti, reſponſum eſt, in fata illum conceſſurum, cùm filia Hippodamia nupſiſſet. Igitur filiæ nuptias veritus multis puellam uxorem ſibi dari poſtulantibus, id propoſuit certamen, quo qui victus eſſet, interficere- F tur, victor virginem acciperet. Equorum inſtituit curſum à Piſa ad aram Neptuni, quæ eſt apud Iſthmum Corinthi. Curſus erat ejuſmodi: Oenomaus arietem Jovi ſacrificabat: qui virginem poſtulabat, quatuor equorum ferebatur curru. Oenomaus ſacris peractis curſu ſequebatur præcedentem, auriga Myrtilo: aſſecutum haſta, quam geſtabat manu, interficiebat. Hoc pacto cùm multos ob equorum velocitatem peremiſſet, Pelops Tantali, qui Piſam acceſſerat, viſa Hippodamia, id concupiens connubium corrupto Myrtilo, illius opera in victoria uſus eſt, primuſque ad aram Neptuni pervenit. Qua ex re dolore actus Oenomaus, adveniſſe reſponſi exiſtimans tempus, ſibi mortem conſcivit. Pelops ſumpta uxore Hippodamia, Piſæ regnum tenuit. Qui viribus, ac prudentia inſignis, cum plurimos in Peloponneſum accolas deduxiſſet, eam patriam Peloponneſum ab ſe denominavit. *Idem cap. 11.*

DANAE, Perſei mater, Acriſii Argivorum regis & Eurydices Eurotei filia, cùm nata eſſet, Acriſius oraculum conſuluit, an marem aliquem filium poſteà habiturus eſſet. Reſpondit oraculum, nullum quidem marem habiturum, ſed à nepote è G filia occiſum iri: ut ſcripſit *Pherecydes in Hiſt.* Ergo aheneum thalamum ſubterraneum extruxit, ut ait Sophocles in Antigone, in quem Danaen cum nutrice incluſit, cuſtodiaſque adhibuit, ne filius ullus ex ea naſceretur, ut ſcripſit *Pauſanias in Corinthiacis, & Horat. l. 1. Carminum.* At Jupiter, auro ſimilis è tholo in ſinum ejus defluxit. Natus inde Perſeus. Acriſius ad aram Hercæi Jovis Danaen adductam interrogavit, ex quo peperiſſet. Cùm illa à Jove diceret, cæſa priùs nutrice, in arca lignea incluſit, & in mare, dejecit, ut teſtatur *Apollonius lib.4. Argonauticorum.* Cùm ad inſulam Seriphum arca applicuiſſet, quæ una eſt è Cycladibus, ubi Polydectes Androthoes, & Periſthenis filius imperabat: à Dictye fratre regis, qui ibi fortè piſcabatur, reti extrahitur. Quam cùm ille recluſiſſet, didiciſſetque quinam eſſent, domum deduxit, & ut affinitate conjuctos, apud ſe perhumaniter habuit, ut ait *Strabo lib. 10.* Sequentibus poſteà temporibus Polydectes vim Danaæ inferre conatus eſt. Quod cùm ob Perſeum non poſſet, finxit ſe velle dotem in nuptias Hippodamiæ Oenomai filiæ parare: munuſque id Perſeo impoſuit, ut ad ſe Meduſæ caput, quod Hippodamiæ largiretur, afferret. Quod is præſtitit: Relato capite Meduſæ, Po- H lydectes, omneſque ejus in ſaxa ſunt converſi: Dictys regnum Seriphi obtinuit. Cùm Perſeus Argos veniſſet, non invenit Acriſium, qui ob timorem Lariſſam, quæ Pelaſgorum fuit civitas, confugerat. Relicta ibi Danae, Cyclopidus, & Andromeda ipſe Lariſſam contendit, ubi recognovit Acriſium, illique perſuaſit, ut Argos ſecum rediret. Verùm antequam Lariſſa diſcederent, certamen celebrari contigit in illa civitate, ad quod certamen & ipſe Perſeus deſcendit. Dum igitur diſcum jaceret, diſcus in pedem Acriſii revolutus, illum vulneravit, ita ut ex eo vulnere interierit. Sepulchrum ante portas civitatis Lariſſæi magnificè extruxerunt. *Pauſanias in Corinthiacis* impetu diſci jacti ad amnem Peneum perculſum Acriſium ſcribit, cum Perſeus inventi à ſe diſci gloria elatus artem in conventu hominum oſtentaret. *Natalis comes Mythol.lib.7.c.18.*

PHRYXUM Athamantis ajunt novercæ inſidias declinantem, unà cum ſorore Helle è Græcia fugiſſe. Transfretantibus illis, juxta quoddam deorum oraculum, ex Europa in Aſiam ſu- per

per aureo ariete, virginem in mare delapſam dediſſe Helleſponto nomen : Phryxum in Pontum proficiſcentem, delatum in Colchida. Qui cùm ſecundùm oraculum arietem ſacrificaſſet, pellem in templo Martis ſuſpendit. Poſtmodùm Ætha in Ponto regnante reſponſum datum eſt, illum tunc mortem obiturum, cùm externi navigio delati, aureum vellus ſuſtuliſſent. Hac ex cauſa, tum verò innata crudelitate oſtentavit ſe hoſpites ſacrificare : ut divulgata tanti ſceleris fama externi omnes eum acceſſum abhorrerent. Templum quoque muro circumdedit, cuſtodeſque frequentes appoſuit, ex Taurica accitos: quibus à Græcis mirandæ fabulæ finguntur. Decantatum enim eſt, tauros ignem ſpirantes circa templum eſſe : è dracone inſuper cuſtodiri vellus. Verùm taurorum nomen à cuſtodum robore traductum eſt, à crudelitate verò cædis hoſpitum tauros ignem efflare confictum. Templi cuſtos draco, ſtupendæ ejus animantis naturæ occaſionem dedit. Accedent tem ad fores templi Medeam, appellari Taurica lingua ab ea milites, apertis januis ut regis filiam introduxerunt. Argonautæ templum ſimul ingreſſi, eductis enſibus, cùm multos ex barbaris occidiſſent, aliis improviſa re territis, diffugientibuſque erepta aurea pelle, e veſtigio ad navem reverſi ſunt. Medea draconem pellis cuſtodiæ incubantem, ſemperque ut fabulæ ferunt, vigilem, veneno peremit : deinde unà cum Jaſone conſcendit. Æthas Græcos inſequens à Meleagro cæſus eſt. *Diod.l.4.c.3.*

Parysadæ regis Cimmerii Boſphori tres filii, Eumelus, Satyrus, & Prytamis, de regno poſt parentis obitum contendebant. Eumelus ope Ariopharnis Thracum regis Prytamin interfecit : Satyrus regiam oppugnans, vulnere in brachii muſculo accepto periit. Itaque regno potitus eſt Eumelus per quinquennium, admirabili caſu extinctus. Nam cùm ex Scythia domum reverteretur, & ad quoddam ſacrificium properaret, quadriga ad regiam contendebat : & cùm currus quatuor rotis veheretur, & haberet tentorium, perterrefacti equi, eum abripuerunt. Cùm auriga habenas tenere non valeret, veritus rex ne in ſcrobes delaberetur, exilire conatus eſt. Sed cùm enſis rotæ implicitus eſſet, ille unà tractus, e veſtigiò expiravit. Satyrum oraculo admonitum ferunt, ut ſibi à mure caveret. Itaque ſuorum ſubditorum neminem id nomen uſurpare paſſus eſt. Domeſticos, & agreſtes mures formidabat, & pueris ſemper, ut occiderent, & caveas obſtruerent, imperabat. Tandem vitam finiit in brachii muſculo vulneratus. Eumelo autem reſponſum oraculo fuerat, ut domum, quæ portaretur, caveret. Itaque haud temerè domum intrabat, niſi pueri priùs & fundamenta, & culmen luſtraſſent. Cùm autem in quadriga vi rotæ extinctus eſſet, propter tentorium, quòd quadriga vehebatur, omnes oraculum impletum exiſtimarunt. *Diodorus lib.* 20.

Homerus cùm deum conſuleret, quibuſnam parentibus, & ex qua patria oriundus eſſet, reſponſum tulit, quo & de morte præmonitus fuit.

> ἔςιν Ἴος νῆσος μητρὸς, πατρὶς, ἥσε θανόντα
> δέξεται. ἀλλὰ νέων ἀνδρῶν αἴνιγμα φυλάξαι.

Non multò pòſt ad Jenſes navigans, jam ſenex, & cæcus, cùm piſcatores interrogaſſet, nunquid haberent ? & illi perplexè reſpondiſſent; vel animi mœrore, quòd ænigma ſolvere non potuiſſet, vel morbo in fata conceſſit. *Plut. & Herod. & Pauſ. in Phocicis.*

Semiramis Aſſyriorum regina, univerſo peragrata Ægypto, Libyaque magna ex parte in ditionem redacta, ad Jovem Ammonem tranſiit, ſciſcitatura à Deo ſuæ vitæ finem. Dicitur reſponſum ei datum, ab hominibus migraturam eſſe, atque à multis Aſiæ gentibus immortalium honores aſſecuturam. Idque fore, cùm ei Ninus filius inſidiaretur. Ab expeditione Indica in Bactrianos reverſa, detectis quas ei Ninus per Eunuchum paraverat inſidiis, omnique injuria juxta Ammonis reſponſum remiſſa, cùm omnibus, filio ut regi parerent, præfectis mandaſſet, e veſtigiò evanuit, ad deos, juxta oraculi reſponſum, ut creditum eſt, translata. *Diod.l.2.c.5.*

Cyrus rex Perſarum, ad Iſtrum contra Maſſagetas, & Eſſedonas profectus, conſuluit in Lesbo Orphei caput, oraculis clarum eo tempore, de belli eventu. Reſponſum accepit, τὰ ἐμὰ ὦ κῦρε σά : id eſt, Similem exitum, ut ego, habebis. Exitus oraculo fidem fecit. A Tomyri enim regina Cyrus interfectus, & capite truncatus eſt, ſicuti à Thraciis mænadibus Orpheus. *Philoſtratus teſtis.*

Polycrates Samiorum tyrannus poſteàquam Rheneam inſulam cepiſſet, eamque conſecraſſet Apollini, conſtitutis apud Delum ludis pulcherrimis, Delphos miſit conſultum, utrùm oporteret eos ludos Delios, an Pythios appellare. Reſpondit oraculum, ταῦτά σοι καὶ πύθια καὶ δήλια, futurum innuens, ut propediem excederet è vita, idque evenit. Itaque res in proverbium verſa. *Eraſmus in Menandro.*

Calanus, Gymnoſophiſtarum unus, diù comitatus eſt Alexandri caſtra. Poſtremò vivus ſtatuit incenſam pyram ex gentis inſtituto inſilire. Cùm igitur ſpectante exercitu in ſubjectas pyræ flammas inſulturus ſtaret, interpellatus ab Alexandro, rogatuſque : An mandaret aliquid ? Mox paulò, inquit, te videbo. Implevit id nomen Alexandri interitus, qui non multò pòſt ſecutus eſt. *Sab.lib.9.cap.9. Val. Max.lib.1. cap.8.* Eidem ex India Babylonem pergenti, Nearchus, claſſis præfectus, qui ab Oceano Euphratem invectus reverterat, refert conveniſſe ſe certos Chaldæos, qui monebant, Babylone ut abſtineret : Nihil motus tamen progreſſus eſt, ubi periit. *Plut. in Alex.*

Sortes olim datæ Lyſandro hujuſcemodi fuere:

> *Hopliten jubeo cautum vitare ſonantem,*
> *Terrigenumque dolo ſequitur qui terga draconem.*

Bello Bœotico, cùm Haliartum oppugnaret, oppidani facta eruptione eum cum exercitu ad rivum Hopliten, qui muros præterfluit, conciderunt. Qui Lyſandrum interfecit civis Haliartius, Neochorus nomine, inſigne clypei draconem habuit : quod conjectura erat nunciari oraculo. *Plut. in Lyſandro.*

Occupaverat Pyrrhus Epirota Argos urbem Argivi properè Antigonum, & Areum regem Lacedæmoniorum accerſivere. Erat in prælio nocturno magna eorum, quæ agebantur & imperabantur cæcitas, errationes, & divulſiones per vicos : neque dari ullum imperium per tenebras, & ancipitem ſtrepitum, anguſtiaſque poterat, ſed ita tempus ducebant, diem utrique opperientes. Ubi jam diluxit, Pyrrhus aſpiciens in foro inter ornamenta cætera æneum lupum, & taurum velut ad pugnam commiſſos, obtorpuit : quòd ſubiret eum vetus oraculum, in fatis eſſe, ut occumberet, ubi lupum pugnantem ſpectaret cum tauro. Hoc vetuſti monumentum caſus apud ſe memorant Argivi locatum; ſiquidem Danao, cùm primum in eam oram appelleret, in Piramiis Thyreatidis Argos petenti lupum viſum cum tauro certantem. Danaum verò, qui ſtatuit lupum ab ſe ſtare, quòd indigenas externus ſicut ipſe aggrederetur, ſpectatorem ſe præbuiſſe pugnæ. Cùm victoriam obtinuiſſet lupus, voto facto Apollini Lycio adortum urbem fuiſſe, eaque potitum, ejecto per ſeditionem Gelanore, qui tunc apud Argivos regnabat. Ac ſtatua ea de cauſa poſita fuerat. Hoc ſpectaculo Pyrrhus ſimul quod nihil eorum, quæ expectaverat, progrederetur, deprehenſus, cogitabat ſe recipere. Verùm ictu tegulæ à muliere deſuper occiſus eſt. *Plut. in Pyrrho.*

Delphicum extabat oraculum verſibus heroicis, ſic prædicens interitum:

> *Æacide cave venias ne Acheruntis ad undas,*
> *Pandoaſimque necem, quoniam tibi fata minantur.*

Commiſſa itaque pugna cum Brutiis, & Lucanis ad flumen quoddam ponte rupto, cùm flumen à finitimis Acheruntidem dici audiſſet Alexander, Philippi affinis, frater Olympiadis, urbemque vicinam Pandoſiam : locis cum oraculo ſibi reddito comparatis, fatale tempus adeſſe ratus, glorioſam expetiit mortem, impetu in confertiſſimos hoſtes facto, magnaque ſtrage edita. *Suidas.*

Dionysius, Siciliæ tyrannus, cùm reſponſum à diis accepiſſet, quòd tunc moriturus eſſet, cùm meliores ſuperaſſet, ipſe in ſe eum ſenſum accipiebat oraculum, ut referret ad Carthaginenſes, eos ſe meliores, fortioreſque eſſe arbitratus. Quam ob rem ſæpe etiam habito cum iis conflictu, ſi res ad victoriam ſpectare videretur, ſubterfugere ſolebat, & ultrò vinci, ne fortioribus ſuperior fuiſſe videretur. Verùm non potuit hac verſutia fati neceſſitatem infringere. Nam cùm eſſet parum bonus poeta, Athenis in Bacchanalium feſto tragœdia edita, viciſſe meliores poetas Athenienſium ſuffragiis judicatus eſt. Itaque convenienter oraculi veritas præſtita eſt, ut cùm meliores ſe viciſſet, ſtatim vitæ terminus ſequeretur. *Diod. lib.15.*

Cimon Athenienſis circa Cyprum tenens claſſem, legatos ad templum Ammonis miſit de re occulta Deum conſultum. Nec patet ulli, quamobrem miſſi fuerunt. Neque dedit legatis Deus reſponſum : verùm ſimul ut adfuerunt, redire juſſit eos. Jam enim ipſum Cimonem apud ſe eſſe. His auditis repetierunt, legati mare. Qui ut venerunt in caſtra, quæ tunc erant circa Ægyptum, de obitu Cimonis didicere. Supputatis autem ad oraculum diebus, perſpexerunt rectè ſignificatum Cimonis exitum, quaſi jam apud cælites eſſet. Deceſſit in obſidione Citii, ut plerique referunt, ex morbo : alii volunt ex vulnere, quod confligens cum Perſis accepit. Moriens monuit ſuos, ut extemplò diſcederent, & mortem ſuam regerent. Contigit autem, ut nemine ſentiente neque hoſtium, neque ſociorum illi reverterentur incolumes, ductu, auſpiciiſque Cimonis, ut Phanodemus ait, dies jam triginta defuncti. *Plut. in Cimone.*

C. Jul. Cæs. futura cædes evidentibus prodigiis denunciata eſt. Paucos ante menſes, cùm in colonia Capua, deducti lege Julia colonia, ad extruendas villas ſepulchra vetuſtiſſima diſiicerent : idque eò ſtudioſiùs facerent, quòd aliquantum vaſculorum operis antiqui ſcrutantes reperiebant, tabula ænea in monumento, in quo dicebatur, Capys conditor Capuæ ſepultus, inventa eſt, conſcripta literis verbiſque Græcis hac ſententia : Quando oſſa Capys detecta eſſent, fore, ut Julo prognatus manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ cladibus vindicaretur. Cujus rei, ne quis fabuloſam, aut commentitiam putet, auctor eſt Cornelius Balbus familiariſſimus Cæſaris. *Suet.*

Apollon. Ægyptius, C. Caligulæ Romanorum Imperatori mortem prædixit. Qui eam ob cauſam Romam miſſus, ad Cajum eo die perductus eſt, quo ille mortem erat obiturus. *Xiphilinus Dionis abbreviator in Caligula.*

Cùm L. Vitellius in gratiam Herodis Tetrarchæ contra Arabas exercitum duceret : ferunt Arabum regem Aretam accepto expeditionis Vitellii nuncio collegiſſe ex auguriis, impoſſibile eſſe ad Petram pervenire illum exercitum : unum enim è ducibus priùs moriturum, vel qui bellum paret, vel cujus juſſu paretur, vel eum contra quem movendum ſit. Nec vanum fuit augurium. Nam cum Vitellius adhuc Hieroſolymis eſſet, nuncius de Tiberii Cæſaris morte allatus, irritam fecit expeditionem. *Joſeph.l.18.c.7.*

Claud. Cæſar cùm Coſſ. deſignaret, neminem ultra menſem, quo obiit, deſignavit : & in Senatu, cui noviſſimè interfuit, multum ad concordiam liberos ſuos cohortatus, utriuſque ætatem ſuppliciter patribus commendavit. Et in ultima cognitione pro tribunali, acceſſiſſe ſe ad finem mortalitatis, quanquam abominationibus qui audiebant, ſemel atque iterum pronunciavit. *Suet.*

Titus Imp. oraculo acceperat, Ulyſſis more ſe ἐκ τῆς θαλάττης periculum. Ulyſſes radio paſtinacæ marinæ, loco ſagittæ à filio Telegono peremptus eſt. Titus verò leporis maneno, à fratre Domitiano ſublatus. *Cæl.l.26.c.30.*

Apollonius Tyanæus, Jovis filius, Cilicem quendam, hominem ſupra modum laſcivum, tertia die interemptum iri prædixit, idque contigit. *Philoſtratus in ejus vita.*

Largin. Proclus publicè prædixerat in Germania Domitianum Imp. certo die mortem obiturum. Cùm ob hanc cauſam, ab eo, qui provinciæ præerat, Romam miſſus eſſet, id etiam tunc affirmavit fore. Itaque rei capitalis damnatus eſt. Sed Domitianus eodem die necatus eſt. Xiphilinus Præneſtina, Fortuna, toto Imperii ſpacio annum novum commendanti, lætam eandemque ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit, nec ſine ſanguinis mentione. *Suet.*

S. Phocas Sinopenſ. Epiſcop. ſub Trajano paſſus, ſpiritu Prophetico dixit, Trajane, perge ad ulteriora abyſſi, & ad præparata tibi tormenta feſtina, ubi morte perpetua, & ſævo exurendus es incendio. Triduo in hac luce verſaberis. Quo emenſo, caligo te mortis excipiet. Nec enim diutiùs poſteà inultus innocentum ſanguis eſſe poteſt. Eventus ſecutus eſt. Nam triduo exacto, Trajanus ventris profluvio expiravit. *Ado Viennenſis Epiſcopus.*

Imp. Trajanus initurus ex Aſſyria Parthiam omni exercitu, hortantibus amicis, ut de eventu conſuleret rei cœptæ Jovem Heliopolitanum, egit Romano conſilio, priùs explorando fidem religionis, ne forrè fraus ſubeſſet humana. Et primùm miſit ſignatos codicillos, ad quos ſibi reſcribi vellet : Deus juſſit offerri chartam, eamque aſſignari puram, & mitti : ſtupentibus ſacerdotibus ad ejuſmodi factum. Ignorabant quippe conditionem codicillorum. Hos cum maxima admiratione Trajanus excepit, quòd ipſe quoque puris tabellis cum Deo egiſſet. Tunc aliis codicillis conſcriptis, ſignatiſque conſuluit, an Romam perpetrato bello rediturus eſſet. Vitem centurialem Deus ex muneribus in æde dicatis, deferri juſſit : diviſamque in partes ſudario condi, ac proinde ferri. Exitus rei obitu Trajani apparuit, oſſibus Romam relatis. Nam fragmentis, ſpecies reliquiarum : vitis argumento, caſus futuri tempus oſtenſum eſt. *Macrob. lib.* 1. *Saturn.cap.23.* ubi Jovem, & Solem eundem eſſe Deum probat.

Alex. Severo Imp. in Germanica expeditione mulier Druias acclamavit Gallico ſermone : Vadas, nec victoriam ſperes, nec militi tuo credas. *Lampridius in Alex. Severo.*

Macrino Imperatori, ab Aviro (qui & Pſeudantoninus, & Sardanapalus dictus eſt) adhuc puero interfecto, mors anteà oraculo prædicta fuit his verſibus:

> *O ſenior, bello juvenum quem dextra fatigat,*
> *Jam tibi deficiunt vires, repetitque ſenectus.*

Dion, & Xiphilinus in Macrino.

Cùm Maximinus Imp. ob crudeliſſimas in Chriſtianos perſecutiones, horrendis à Deo morbis percuteretur, hinc inde medicos conquiſivit, qui ſibi opem ferrent. Sed omnia remedia fruſtra tentabantur. Meminit *Ruffinus*, Quendam ex iis, quem jugulari præceperat Maximinus, inſpiratum à Deo, Imperatori hæc objeciſſet : Cur Imp. erras, & quod Deus infert, ab hominibus putas poſſe revocari ? Nec humanus eſt iſte morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare, quanta in ſervos Dei egeris, quamque in religionem divinam impius, & profanus extiteris : & intelliges, unde tibi ſint poſcenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero : tu tamen à medicis non curaberis. *Euſeb.l.8.c.16. & Ruffin.*

Maximino ſeniori Imp. mortis omina hæc fuerunt: Venienti contra Maximum, & Balbinum Impp. à Senatu deſignatos, Maximino cum filio Mulier quædam paſſis criminibus occurrit lugubri habitu, & exclamavit. Maximino, Maximino, Maximino : neque quicquam ampliùs dixit, & mortua eſt. Videbatur enim dicere voluiſſe, Sucurrite. *Capitol.*

Julian. Imp. contra Conſtantium movens, penetravit Illyricum, aſſiduè exta, aveſque rimatus, ut exitum contemplaretur. Quo tempore Miles quidam exta manu erigens, humi proſtratus exclamavit, multis audientibus. Illum cecidiſſet, cùm Mopſucremis Conſtantinus moreretur in Cilicia, quod mox ex legatis verum eſſe didicit, Theolaphio, & Aligildo, qui & illum ſucceſſorem ſtatuiſſe addiderunt. *Cuſp. A.D.*

Movente in Perſas Juliano, Antiochiæ Libanius ſophiſta ludum litterarium, quem tunc Magiſter quidam Chriſtian. gubernabat, ingreſſus, per irriſionem compellavit, Sciretne, quid fabri faceret filius ? Chriſtum innuens. Reſpondit is. Eſſe eum in hoc totum, ut Juliano ſandapilam pararet. Nec multò pòſt fama venit, Imp. in ſandapila adferri. *Theodor.lib.4.c.13.*

Paulinus Nolanus Epiſcopus, cùm in Africa apud Vandalos ſerviret Genſerico Vandalorum regi, obitus diem prædixit. *Fulg.l.1.c.3.*

Martinus Turonenſis Epiſcopus Maximo tyranno exitum prædixit, quemadmodum Severus Sulpitius teſtatur. *Fulg. lib.1.c.6.*

Sabinus Canuſinus Epiſc. ſenex, & cæcus, prophetandi dono clarus, quòd & Totilas Gothorum rex in eo deprehendit. Archidiacon. Epiſc. deſiderio eum è medio tollere laborabat : & pincernæ perſuadet, ut ei venenum propinet. Pater ille ſenex poculum oblatum reſpuit, dicens : Bibe tu, quod mihi proponis bibendum. Quod cùm puer metu pœnæ facere vellet, impediit eum Sabinus, inquiens : Vade, & dic auctori harum inſidiarum, me quidem poculum bibiturum, ſed eum Epiſcopatu nunquam potiturum. Sic accidit, ut venenum Sabino bibenti non noceret : & Archidiacono, non bibenti, ea ipſa hora cauſa mortis exiſteret. *Greg.Turonenſ.lib.3. Dial. c.5. & Vincent.l.21.c.66.*

Benedictus Abbas, cùm Totilas rex mutato habitu ad eum profectus eſſet experiundi gratia, an propheticum ſpiritum haberet, eum ſtatim agnovit : prædixitque eum redacturum urbem Romam in poteſtatem: & item in Siciliam trajecturum, ſed demùm decimo anno pòſt moriturum. Nempe ad Brixellum à Narſete cum ſuis ad internecionem cæſus eſt, anno Chriſti DLIV. *Sab.l.4. Ennead.8. ex Gregorii l.1. Dialog. c.15. & Pauli Diaconi, l.16.*

Justinian. Imp. Rom. circa annum Chriſti DXXXIII Mundum ducem in Dalmatiam adversùs Oſtrogothos miſit, qui Salonas occupavit. Ille ibi cum Mauricio filio, cùm ad ſpeculanda caſtra exiiſſet, à Gothis cæſus, oraculi fidem implevit, multoſque timore liberavit. Erant enim, qui dicerent, fatidica Sibyllæ carmina pronunciata eſſe, quorum ſententia, periturum cum prole ſua Mundum, ubi Africa denuò armis Romanis foret recepta. Atqui tum Africam domitis Vandalis Juſtinianus Rom. Imperio reſtituerat. *Avent.l.3.A.D.*